OLAI
IA.
II.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

H. XIII. 9

Liber
Novo-Tacin.
c/37/II

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubietate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Consideratio quadrigae quaestionum de Syncretismo nonneminis Witteberga emissae.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

Adl. 23

D. O. M. A.

DE

PRUDENTIA THEOLOGICA,

Exercitatio Singularis.

Naturam ejus universè explanans, principia, affectiones, subjecta, effecta, divisiones, Cognata, Opposita, ordinatè repræsentans, variaq; exemplis Veteris & Novæ Ecclesiæ breviter demonstrans.

Subjecta ad calcem Appendix de praxi Theologicâ, in spiritualib. apprimè necessariâ.

Ad utilitatem Ecclesiæ monita universim conducentia suggerens.

AUTHORE
HENRICO NICOLAI,
Consil. Elect. Eccles. Et Profess. emerito.

GEDANI.
Typis PHILIPPI CHRISTIANI RHETII.
ANNO MDCLX.

6.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO,

DN. FRIDERICO GVILIELMO,

Marchioni Brandenburgensi, S. Rom. Imperij ArchiCamerario & Principi Electori. Magdeburgi, Porussiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum, Vandalorum, Crosnæ in Silesiâ & Carnoviæ Duci, Burggrabio Noribergensi, Halberstadij ac Mindæ Principi, Comiti Marcæ & Ravensbergæ, Domino Ravensteinij, &c. &c. &c.

Dno. suo Clementissimo,

S. à DEO Patre per Christum, & cultum.

VArium Geminum, ELECTOR POTENTISSIME, apud Cæsarem in 6. Epitomes Controversiarum dicentem *Annæus Seneca* introducit, Qui apud Te, Cæsar, audent dicere, magnitudinem tuam

 igno

ignorant: Qui non audent, humanitatem. Neſcio, annon ſimile in primo apud S. T. alloquio mihi cogitare, aut in ſolatij vicem adhibere licuerit. Faſtigium ſublimitatis Tuæ ab alloquendo retrahit; ſed humanitas invitat. Faciendum tamen aliquando fuit, quod longè priùs occupari jure decuit. Potentiorum ſuffragia aut prenſare, aut deſiderare, communi more mortalium ſolemus. Mihi & audendi animum, & ſperandi facultatem inſita S. T. in literas humanitas, & in charteæ vilitatis donaria oblata prolixa voluntas, ſuggeſsit. Non ab extero arceſſam, quod è domeſtico documento depromi liceat. SERENISSIMUS PARENS, Auguſtæ memoriæ Princeps, in primâ Doctorum apud Regiomontanos promotione me nec uſu notum, nec officio probatum, ad gradum capeſſendum ſuo ſumptu clementer invitavit. Interpres Electoralis gratiæ Benckendorfius tùm extitit. Apud S. T. ante ſesquiannum neſcio à quibus in tantum commendato, inprimis de tranquillando religionum negotio indicato, è veſtigio reſcriptum ab Electorali Clementiâ impetrare licuit, quo à ſacris SIBI conſiliis me eſſe debere gratiosè judicavit. Munus prægrave ſanè, ac progresſibus meis Theologicis ferè nimium. Me autem vel ingratitudo deturpet, vel parùm tenax memoria obfuſcet, niſi qualemcunq; tandem memoris in gratiam animi cippum erigere aggrediar. Ac *de Collatione Religionum* argumentum meditatus, aliò ad typi facultatem miſſo eo, innoteſcere S. T. deſtinatum fuit. Sed id inter rapinas publicas ab hoſte in tabellionis direptione abſtractum creditur. Nec adhucdum aliud quidquam memorare de eo licet. Exin breviore *de Prudentiâ Theologicâ*, meletemate me ſiſtere cogitavi, ad conciliandi negotium haud modicum profuturo, ſi dextrè admoveatur, ut progreſſus ultrà in lucem dabit. Non copioſo ſermone defungar. Apud occupatas Principis aures oratio omnis prolixior moleſta eſt. Moles Imperij, lituorum ſtrepitus, occupata

in-

in diem crescentia, sermones longos, & de industriâ non exitum invenientes, fastidiunt. Tractatio brevitate sui succi' cita citra tædium lecturi animum subire valuerit. Ampla vix libenter Magnates legere solent. Eruditionis compendia in lucro habent, & similes tantùm in exemplo. Brevis esse malui, quàm pertinace silentio aut officium, quod debui, deserere, aut qualecunq; grati indicium ulteriùs differre. Primitias velut laboris aliquas ad moderationem S. T. appendere, & gratiosæ clientelæ commendare volui, dùm amplioribus explicandis me parem occasio paraverit, quod hactenùs fortuna non voluit. Pro coetero in literas affectu in submissi, & per sexennium ob veritatem exulantis, si non scriptum, animi obsidem, animum saltem respicere, & authorem porrò inter suos numerare gratiosè sustineat S. T. devotè precor. Vel justitia Ejus causam meam bonam esse perspiciet, vel Clementia faciet. Utrumq; in æquo beneficium futurum: sive innocentem me sciverit esse, sive voluerit. Pro grato habebitur, quid quid ingens Patronus, felicium terrarum Dominus, Imperium per varia Orbis diffusum exercens, pacatâ authoritate censuerit. DEUS S. T. cum Serenis. familiâ inter hos temporum furores ex alto conservet, eam prudentiam è Coelis servari donet, ut nihil asperius factu, nihil, ad quod impensiùs coeli auxilium advocari oporteat, cogitetur, quàm ubi promendum, quod prolatum peragitur, peractum ad summam rei & salutem mortalium pertinere intelligitur; Pacisq; bona, communia mortalitatis vota, ex horridis Christiani sanguinis bellis per EAM ut Pararium, clementer reducat. Gedani, 12. Calendas Mart. Anno M DC LX.

SERENISSIMÆ CELSITUDINI TUÆ

Subjectissimus,

Henricus Nicolai,

C. E. & P. em.

LECTORI CHRISTIANO AC ERUDITO
S. & pacem Christi.

I*Nsignem in mortalibus virtutem, Lector erudite, gratiosè à DEO suppeditatam, noscendam propono. Modum ac rationem in spiritualibus rebus gerendis componit, animoq; inserit.* Prudentiam spiritualem *vocare Doctorum consensus cupijt. Divinitùs raroq; exemplo nonnullis immittitur, ut Apostolis: Naturali quandoq; solertiâ exsurgit, ut priscis quibusdam Monachis: Alijs labore & exercitatione comparatur, ut communi progressu. Quibuscunq; modis in hominem veniat, universim hic expedienda veniet.* Quid, unde sit, quid agere, circumspicere, cavere jubeat, *qualiter in adiaphoris, disceptatis, administrandis, se gerere doceat, ne quid nimium, ne nimis exiguum, ac deceat, agatur, ne desit aut supersit, brevioribus lineis hic deductum vides. Jus summum, summa malitia, etiam in spiritualibus, moderamen à Prudentiâ haurire debebit. Res eximij in spiritualibus usus, magnæ necessitatis. Scientiam Theologicam omnes Loci communes deduxerunt. Prudentiam rari, aut nulli distinctè. Controversiarum modum & finem Prudentia sufficiet. Imprudentiæ magna indignitas, nocivitas, ac pestilitas est. Multa imprudenter in conspectu DEI, plura in despectum DEI licentiosè, publicè noxia in Ecclesiasticis patrata esse, compertum est. Communis querela etiam magnorum Virorum affectus in lamenta concitavit. Specialia casuum memorare, omnia enucleatè partitevè referre, ingens Volumen tractandæ rei suppeditet. In compendium arctare commodius visum, quod diductiùs alijs temporibus commentandum relinquatur. Simùl ad calcem de Praxi Theologicâ, Cognatâ materiâ, quædam subtexta. Non minus momenti continet, ac Prudentia. Scientia sine caritate utilis & noxia est, 1. Cor. 8. & 13. Sathanas universorum penè gnarus, & æternùm à DEO rejectus est. Brevioribus stricturis & ea deducta, quæ latiùs alibi expeditur. Omnibus nè placitura, quæ trado, nec scio, nec dicere habeo.* Id scire omnes velim, vix præclarum esse, quod omnibus placeat. Communis erroris prava defensio est, deviantium multitudo. *Epitomen Prudentiæ & Praxis Christianæ hac vice dare constitui. Proprio judicio explorare universa,* LECTOR, *licebit, si quid aut arrideat, aut deficiat. Liberum illud habes quo approbes, quod placuerit aut improbes, quod offenderit. Omissis, aut obiter traditis, benigniorem veniam impertire, humanum erit. Facies, Lector prudens & quæ ad pacem Jerusalem faciunt nobiscum infestis his temporibus procurabis. Ita DEus pacis tecum sit, apud quem precibus perpetuò Nos juvabis. Gedani. 10. Cal. Martias. Anno .660.*

D. O. M. A.

DE PRUDENTIA THEOLOGICA,

Exercitatio Singularis.

I.

A *Naturâ ita comparatum ſcimus, ut nemo naſcatur artifex, ſed evadat.* Ipſa prima ab incunabilis origo, ruditatis, imprudentiæ, & ſtoliditatis officina eſt. Funditùs omnis notitiæ prudentiæq; exſortes in hoc Orbis theatrum protrudimur. Qui inGræciâ *ſeptem Sapientum meruêre nomina*, non ad id naturâ facti, ſed inſtituti & aſſvefacti fuerunt. Improbo labore & niſu opus eſt, dum inſcitiæ rubigo animo exuatur, notitia inſeratur. Id omni notitiarum generi uſuvenire in comperto eſt. *Sivè* mechanica in exemplum trahas, neminem natura artificem finxit, ſed induſtria elaboravit. *Sivè* liberalia circumſpicias, ſudorem ac operam in auxilium advoces, ſi in illis aliquid eſſe concupiſcas. Viſus à circumfuſo aére lumen, animus à diſciplinarum culturâ notitiam accipit. Ferrum multo labore exacuetur, & poſt induſtriam ſequetur ſapientia, ait *Sapiens Eccleſ.*10.*v.*10. Quòd *ſi Theologica* pro exemplo placeant, non aliter res habet, nec uſitatâ ratione ſcientiam eorum aliter aſſeri compertum eſt. Omnium ignaris, labore, operâ, induſtriâ, uſu, opus eſſe deprehenditur. *Id theoria ſpiritualis, Controverſiæ, Polemica,* quæſtiones edoceant. *Practicorum* deinde in iiſdem eadem eſt ratio, & naturâ valdè cœci, diſtorti, reprobi, gignimur. Si ad rectum, prudens, conſideratum, edomari debeamus, inſtituto ac operâ opus exti-

terit. Nemo prudens natus, sed factus. Non dat natura virtutem, Ars est, bonum fieri, ait *Seneca ep.95.* Inde *Prudentia in spiritualibus orta*, quæ eò manuducat, aversos dirigat, & reluctantes emendet. Plura in practicis imprudenter gesta esse, geriq;, Veteris ac novi ævi historia commoneat, Exempla fortè progressus producturus. Quid noxæ illatum, acta docuerunt, tempora notârunt. *Ecclesiam Viris literatis, non asinis armatis indigere*, non vanè olim dictum. Cynosuram circumspicere necessum est, ad quam cuncta componamus, ne ad scopulos cum alijs impingamus. Hanc *Prudentiam Theol.* vocare liceat. Rei ipsi nomen conveniens, & ab analogiâ Civilis prudentiæ haud remotè sumptum intelligitur. *De eâ* breviter commentari, & quid doceat faciatvè in homine, distinctiùs repræsentare, CUM DEO, primo Prudentiæ authore & Consultore, hac vice constitutum est.

2. *Prudentia vox quasi porrovidentia dicta*, ut prudens quasi porrò videns, *apud Philosophos interdum generalissimè* omnem naturalem sagacitatem & solertiam notat, quomodo & brutis suam inesse prudentiam dicimus, & quidam illis Conscientiam attribuunt, ut *Speusippus & Zanakius*, *alijq;*, ut *Dec. 3. Miscell. d.2.t.5.* notatum: Sic Agricola naturali prudentiâ facile justeq; agebat, *Tacitus vit. Agric.c.2.* *Interdùm generaliter* quamvis liberalem notitiam notat, sivè theoretica illa, sivè practica, quomodo omnes sophos prudentes, asophos imprudentes vocamus: *Interdum specialiter* notitiam moralium rerum, & habitum intellectualem cum rectâ ratione activum eorum, quæ homini bona aut mala moraliter sunt, ut *6.Nicom. c.5.* definitur; *Et dec. 3. Misc. d.* 1. explicatum est. Quomodo contradistinguitur Intelligentiæ, Sapientiæ, Scientiæ, & arti, ut *de Cogn. hum. & in Curs. Phil. d.4.* dictum. *Et generalis ac specialis*, perfecta ac imperfecta, Politica, Oeconomica, Scholastica, Historica, & similis dici solet, quo de alibi actum. *In Theologicis generaliter* omnem spiritualem notitiam & circumspectionem notat, ut, Estote prudentes, sicut serpentes, *Matt.* 10. *v.* 16. Specialiter insignem quandam de Christo notitiam, *Ephes. 3.v.4.* vel in Civilibus prudentiam aliquam. Sic David Israelem pavit in intelligentiis manuum suarum, *Psal. 78.v.72.* h.e. prudenter. Hic *peculiarem notitiam agendi fugiendiq; in Theologicis* ea, quæ agi fugiq; pro circumstantiarum ratione à Viro sapiente debeant, in subjectis quibusdam specialiter relucentem notat.

Et

Et habitus aliquis in subjectis suis est, infusus vel acquisitus, promptum animum ad prudenter omnia agenda reddens. Dicitur & *Circumspectio, Solertia, Cautio, Providentia. Augustinus l.1.d.lib.arb.C.13.* eam rerum appetendarum & fugiendarum, Et *L. 83.qu.q. 30.* rerum bonarum, malarum, & neutrarum scientiam definit. Alij aliter. *Socrates* animæ concinnitatem vocavit. *Stob. ser. d. prud.*

3. Eoquè hic definiri potest *prudentia, in Theologicis ac spiritualibus rebus circumspectionem ac dexteritatem animo humano concilians, quà in negotijs religionis rebusq; Ecclesiasticis sapienter, decorè, utiliterq; ad salutem Ecclesiæ gubernandis & administrandis expeditus paratusq; efficitur. Prudentia in Theolog.* est *virtus spiritualis à Sp.S. concitata*, praxes spirituales circumspectè moderari faciens, eoq; mentem humanam pro salute fineq; spirituali obtinendo perficiens. Quæ in Theologicis ulteriùs explicari solet. *Eam in naturalem*, quæ peculiari dono à naturâ subjectis quibusdam insit, quomodo naturaliter quosdam circumspectiores, alios imprudentiores nasci videmus. Sic Atticus Constantinop. Episcopus naturâ prudens fuit, *Socrat. lib.6. C.18.* Et Veteres pij Monachi solâ naturali prudentiâ præditi fuerunt, *Sozom. l.1.c.12. Et acquisitam dividunt*, quæ labore naturalem prudentiam excolit ac confirmat, & experientiâ, quod per naturam deest, compensat. *Hanc iterùm in propriam* subdividunt, quæ proprijs casibus & experientiis acquisita est, & rarior est, *Alienam*, quæ ex alienis casibus, *& ex utraq; mistam vel compositam*, quæ partim ex proprijs, partim ex alienis casibus sibi, quod prudenter, animadvertendum sit, comparavit, & usitatior, communior, universalior, ac utilior est. Maximè enim conducit in Ecclesiâ non solùm propriâ experientiâ sapere, sed alienam quoq; in consilium adsciscere, ex eaq; prudentiam sibi etiam comparare.

4. *Principia ejus sunt*, unde ea ortum trahit, quibusq; formatur ac constituitur. Et *externa sunt, ut efficiens*, à quà est, DEUS, *Jac. 1. v. 5. 1. Cor. 2. v. 7. seq. Divina revelatio, Scriptura, Historia Ecclesiæ*, non schola hujus seculi, aut versutia humana, quæ spiritualem prudentiam non habet, adeoq; dare non potest, cum opposita sint, prudentia lucis & tenebrarum, hujus seculi & à superno, filiorum lucis & mundi, DEI & Diaboli, ac contrarias affectiones, subjecta & effecta habeant, *Jac. 1. v. 15. 17. 1. Cor. 1. v. 19 seq. C. 2 v. 1. seq. ut t. 24.* patebit. Et de quà non dicendum est, ut *Gregorius V. Pont. Rom.*

rogatus, cur ſanctionem de Imperatore à ſolis Germanis eligendo tuliſſet, quondam reſpondit, quia caro & ſanguis mihi revelavit, ut *Janſonius de viſion. Apocal. p. 25.* tradit: Sed potiùs ut Chriſtus Petro repoſuit ipſum confitenti, Caro & Sanguis tibi id non revelârunt, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt, *Matt* 16. v. 17. Et ut Apoſtolus ſvadet, ne configurate vos ſeculo iſti, ſed transformate vos per renovationem mentis veſtræ ad hoc, ut probetis, quæ ſit voluntas illa DEI bona, placens, & perfecta, *Rom.* 12. v. 2. Verſutiâ enim mundi res ſacra profanatur, religio corrumpitur, Eccleſia in Synagogam transformatur, pax in diſſidia convertitur, & Reipub. tranquillitas in bella immutatur. *Sic à Principio Nov. Teſt.* DEUS Eccleſiam per homines Politicè minimè verſatos ac verſutos, Apoſtolos, plantavit, rigavit, propagavit, ut ſapientes mundi confunderet, & ſtulta ſe eligere oſtenderet, 1. *Cor.* 1. v. 26. 27. Et praxis Eccleſiaſtica ſequentium ſeculorum oſtendit, ad prudentiam Eccleſ. DEUM plerumq; Viros minimè verſutos adhibuiſſe, ut *t.* 5. pluribus patebit. Sua cuiq; rei prudentia debetur, non ex alienâ altera tractanda aut adminiſtranda eſt. Sic in Republ. Politicam, in domo Oeconomicam, in Scholâ Scholaſticam prudentiam adhibere oportet. Ita in ſpiritualibus ſpiritualem. Sic ex Scripturæ diligente lectione ingentem prudentiam ſpiritualem colligere poſſumus. Paſſim enim exempla, regulas, & informationes ſuppeditat, unde nos prudentiores reddi poſſimus. Et Acta Eccleſiaſtica nos ultrà ad eam provehere, informare, ac conformare poſſunt, ut progreſſus docebit. *V. t.* 12. 13. *ſeq. Et finis*, DEI gloria, Eccleſiæ commodum, & hominum utilitas ſunt, ut vera religio conſervetur, à fraudibus corruptorum vindicetur, ad poſteritatem traducatur, pax Eccleſijs ſervetur aut reſtituatur, vulnera nulla illis infligantur, aut inflicta non incurata relinquantur, ſed ſanentur, Eccleſiæ exemplis vel damnis nos ſapere diſcamus, Concordia animorum inducatur, omniaq; pro bono Eccleſiæ & gloriâ DEI in Chriſtianitate peragantur, quæ verè noxia & incommoda videntur, omni modo præcaveantur, amoveantur, emendentur & immutentur. De quibus plura in effectis prud. Theol. *t.* 7. *ſeq.* dicentur.

5. *Principia interna materia & forma ſunt. Materia ex quâ* hic ut in accidente, non datur. *Materia in quâ eſt ſubjectum*, quod prudentiâ præditum eſt. Eſtq; homo & Theologus, qui eam poſſidet, colit, exercet.

Ut

Vt Atticus & Veteres pij Monachi, t.3. Athanasius, cujus prudentiam Ariani timuerunt. Sic à Valente episcopatu non motus est, cum omnes alios ejiceret, quia verebantur Ariani, ne ipse ad Valentem profectus in suam ipsum sententiam pertrahere, vel Valentinianum ad defensionem Ecclesiæ induceret. *Sozomen. l.6.c.12. Vedelius l.1. d. pru. Eccl. C. 2. t. 6. Et l. 3. C.5.t.6.* Sic prudenter crimen de stupro objectum diluit, præsentem se sistendo, & quem muliercula non agnovit, quæ secum rem habitam dixit, sed cum alio quodam Timotheo jurgata est, quem Athanasium esse dixit. *Idem l.2.c.24.* Sic fugâ prudenter periculum declinavit, cum obversâ cymbâ modò Athanas. eò juisse testatus est. *Ruffin. l.1.c.34.* Sic Macedonius Episcopus Eulochio percussori in se subornato munera dari jussit, cum avarum sciret, & periculum declinavit. *Theodoret. lect. syn. Lib.* Sic alij Patres & rectores Ecclesiarum Principesq; prudentissimi fuerunt, *ut Paulus* Timotheum ob Judæos ejus loci circumcidens, ne scandalisentur illi, quòd Patre Græco natus esset, etsi matre Judæâ. *Act. 16.v. 3.seq. Idem* prudenter Atheniensium idololatriam reprehendit, occasione ab arâ ignoti DEI desumptâ, & ad verum DEUM eos deduxit, *Act. 17.v. 22.* seq. *Idem* purificationis dies Hierosolymis sustinuit, ne Judæis discessionem à lege docere, & Circumcisionem prohibere videretur, *Act.21.v.26.* Et verbera ac virgas prudenter civitatem Romanam appellando declinavit, *Act.22.v.25. Gamaliel* prudenter Clero Apostolos persequenti persvasit, ne id faceret, *Act.5.v.34.seq. Constantinus M.* ut Ethnici milites paulatim cruci & religioni Christi assvescerent, armis ac vexillis crucis Symbolum affixit, & in castris tabernaculum ad templi formam circumtulit, ut & ibi colendi DEUM occasio non deesset. *Euseb.l 4.d.vit. Const. Carolus M.* ut Saxones indomitos ad pietatis officia invitaret, tributa nulla, sed tantùm decimas Episcopis dandas illis imposuit, nec principatus, sed tantùm episcopatus varios apud eos instituit, ut solius religionis studio armis eos impetiisse videretur, ratus, citiùs illos Episcopis, quàm ducibus bellicis parituros. *Crantz. l. 1. Metrop. Henricus II.* Imperat. ut fidem Christianam propagaret, Gislam sororem Hungarorum Principi conjugem dedit, ut Virum uxor Christo lucrifaceret, quod & factum, & rex iste Stephanus inter Sanctos postea numeratus est. *Idem L. 4. Saxon. C. 29. Martinus V.* Papa miræ prudentiæ habitus fuit. Quid agendum aut vitandum, acutissimè dijudicavit. Brevis in dicendo, sen-

ſententijs plenus, cautior in agendo, priùs rem factam homines viderunt, quàm ab eo excogitatam putarent. *Platina in vit. ejus.* Ita *Gregorius Antiochenus* ob prudentiam Cæſaribus & Perſarum regibus carus fuit. *Ruffin. l. 1. c. 19. Idem* ſeditionem inter exercitum & Imperatorem Mauritium prudentiâ ſuâ compoſuit, ut cum lacrymis ſeditioſi veniam peterent. *Evagr. l. 5. c. 6. Et l. 6. c. 11. 12. Silvanus* Tarsi in Ciliciâ epiſcopus prudens. *Theodoret. l. 11. c. 27. V. t. 12. Innocentius* ſucceſſor Anaſtaſij Vir fuit ingenij & prudentiæ ornamentis egregiè inſtructus. *Theodoret. l. 5. c. 23. Porphyrius Antiochenus* magnâ prudentiâ inſignis fuit. *Id. c. 35.* In V. T. de Novo prædictum fuit, cor ſtultorum intellecturum ſcientiam, nec ultrà inſipientem principem vocandum eſſe, *Eſai. 32. v. 4. 5. Et Apoſtolus* monet, prudenter ac circumſpectè ambulemus, ut ſapientes, non ut inſipientes, *Eph. 5. v. 15. Forma ejus* eſt ipſa eſſentia definitione expreſſa, *t. 3.*

6. *Effecta Prud. Theol.* quæ, quanta, & qualia ſint, ex illis, quæ ſpecialiter de eâ poſtea recenſebuntur, abunde patebit. *Diviſio ejus in varios modos & partes eſſe poteſt. Ex modis* quædam varietates *t. 3.* notatæ ſunt. *Ex partibus* Prudentiæ ineſſe dicitur Ratio, Intellectus, Circumſpectio, providentia, docilitas, & cautio. *Ratio*, quâ cauſæ & habitudines rerum attenduntur. *Intellectus*, quo aſſequimur, quid in rebus ſit, aut non ſit. *Circumſpectio*, quâ circumſtantia omnia obſervantur. *Providentia*, quâ providè præſentium, præteritorum, & futurorum ratio attenditur. *Docilitas*, quâ facile & aliorum ſententia fertur, acceptatur, & penſatur, *Et Cautio*, quâ cautè in rebus progredi docemur, non temerè, nec timidè, nec alienè. *Alij* ad eam pertinere dicunt, εὐβουλίαν, bonitatem Conſilij, ut judicio quis polleat, σύνεσιν ſeu perſpicaciam, quâ aliorum dicta & facta rectè ponderantur, Et γνώμην, vim aliorum dicta ac facta rectè judicandi, & ex diverſis mediis cognitis optimum & utiliſſimum eligendi. *Ariſtot. & Thomas* tres ejus functiones ajunt, benè conſultare, benè judicare, & benè imperare ac exequi, *Vid. 6. Eth. c. 7. Thomam q. 7. a. 2. 9. Omnia hæc per analogiam* & in prudentiâ Theologicâ obſervari poſſint, & requiri debeant. *Ex ſubjectis* etiam in prudentiam publicam & privatam dividi poteſt. *Publicam*, quæ in publicis perſonis eſt, ut Epiſcopis, Doctoribus, Magiſtratibus, Regibus, Principibus. *Privatam*, quæ in privatis hominibus. Ut auditoribus, Patribus familias. *Item in generalem*, quæ in omnibus Chriſtianis obtinere debet, *& ſpecialem*,

quæ in quibusdam, ut doctoribus, Episcopis, Magistratibus, &c. Hic *utroq; modo* & ad utrosq; indifferenter se habens spectari potest. Posset & prudentiâ nonnulla circa religionem agere dici, quædam circa adiaphora, Circumstantias, modos, & similia ad externam gubernationem necessaria. *Ad utrumq; hoc loco* etiam respectus in Prudentiâ obtinebitur.

7. Ut *effecta Prudentiæ spiritualis meliùs* pertractentur, & distinctiùs repræsententur, sequentibus membris magna eorum pars commodè explicari queat. I. *Prudentia Theologica Controversiis modum ponere docet, ne in infinitum ea extendantur, aut in vanum, inutile, & noxium tandem super illis contendatur.* Attendere in quæstione ortâ jubet, an necessum sit multis in Ecclesiâ de eâ digladiari, an satius quiescere, & non multum movere sit? Non in infinitum rogari & ruere permittit, sed Circumstantia spectare facit, an necessum, honestum, decorum, utile Ecclesiæ Christi sit, talia movere, discutere, rixari, infirmis scandalum, infidelibus opprobrium ponere. Prudentis en. est, magis interdùm Controversias declinare, quàm movere, admittere, aut discutere. Sic qui ἐπέχειν in difficilibus arripiunt, ut de origine animæ humanæ, ordine actuum in prædestinatione, tempore finis mundi, aliisq;, declinant, non discutiunt. *V. de Conciliando, t.* 10. *Et Tr. de non liquendo ac medio religioso* dictum. *Sic olim Gedani* anno 1561.62. de reliquiis benedictis in Cœnâ rixatum, an Corpus & sanguis Christi sint, an tantùm panis & vinum? Et Ministerium in duas factiones secessit, quidam affirmârunt, alij negârunt. Res indigna, super quâ publicum certamen exardescat. *Anno* 1621. 22. *& sequentibus* de Verbo DEI ejusq; vi movendi & illuminandi, convertendi, de ordine ac modo utriusq;, variè ac pertinacissimè disceptatum, iterumq; in factiones itum est. Varia ac *intricatissima de ordine illuminandi, & vi intimâ vel extimâ* Verbi quæsita fuerunt, quæ magis ad scholas ac Cathedras Academicas, quàm templa aut pulpita Ecclesiastica pertinuerunt, & cui prudentia facile modum ac attemperationem composuisset, si per temporum ac hominum conditionem licuisset.

8. *Sic Magdeburgi* & in vicinis locis anno 1612. & sequentibus varia de unâ ac duplici & contrariâ veritate, Theologicâ & Philosophicâ, de habitu Theologiæ ejusq; definitione, de opere Carnis aut Spiritus in habitu isto, & similibus digladiata. Magno animorum cum motu, nec paucioribus cum perversionibus omnia agitata & disceptata, ut integra scripto-

rum

rum Volumina docent. Prudentia si clavum tenuisset, plerisq; sine tali syrraxi defungi licuisset. Indicia fortè panolethrias anno 1631. sub bello Germanico subsecutæ ingentes illæ animorum commotiones esse debuerunt. *Quomodo Belgium* farragine infinitarum & curiosarum quæstionum in schismate Arminiano an. 1612. seq. concussum fuerit, historia loquitur, & parum per Synodum Dordracenam anno 1619. ad sinceram pacem promoveri potuit. *Regiomonti ingens* rixa de abstracto & Concreto inter *VVigandum & Heshusium* exarsit, quæ *Heshus.* tandem locum mutare coëgit. *Similiter an. 1645. seq. inter Mislentam, Dreierum, & Latermannum de* Conversione, auxilijs gratiæ, Causâ peccati per accidens, origine animæ, alijsq; nonnullis punctis ingens contentio excitata est, variæ Censuræ Academicæ in judicium tractæ, totaq; Academia in horribiles factiones imprudenter dissecta est, cum prudentia, caritas, & moderatio totam Controversiam longè commodiùs componere potuisset, ut nec tot rixis, nec aliorum Censuris opus fuisset, & in nonnullis dissensus aliquis non insolitus aut infrequens in his æstimari debuisset. Prudentia & moderatio Doctorum Controversias tollet, dixit in præfatione aphorismorum *Pareus*, ut de eo *Vedelius tradit prol. 6. de prud. Eccles. n. 1.* Id verè dictum est. *Inter Pontificios* quàm vanæ concertationes interdum gliscant, & quàm imprudenter sæpè certamina super rebus nihili commota, *Holderi mus exenteratus, Erasmi Moria, aliaq; ejus scripta, Theologia ipsorum Scholastica, & similia* doceant. Et in *Michaëlibus* quædam adducta. Hinc prudens Magistratus, ubi modum in Controvertendo excedi videt, Controversias & disputationes Theologicas quandoq; ad tempus prohibet, ut ad moderationem disceptandi ingenia in Theol. reducat. Sic *Theodosius* disputationes ab Arianis in foro fieri vetuit *Sozomen. l. 7.* Et in Hispaniâ ac Orientis & Africæ populis omnes disputationes de religione prohibitas fuisse *Bodinus l. 4. d. Repub. c. 7. n. 482.* tradit. Similiter Moscorum Dux in seditiosis populi sui concionibus de religione differere capitali pœnâ prohibuit. *Idem c. l.* De Germaniâ *Idem* tradit, quod an ad tempus factum post bella civilia, non satis compertum habeo. Nonnisi modestè ac pacificè de religionibus disceptari sanxisse Eam scio.

9. *II. Prudentia Theol. scopum certum figit, ad quem omnia in spiritualibus revocanda ac dirigenda sint,* nempe ut omnia doctrinæ secundùm

pie-

pietatem respondeant, 1.*Tim.6.v.7.* Ad quam quæ non conformata deprehendantur, magis omittere, quàm exercere jubet. *Ita quæ impiè quæruntur*, scandalosè discutiuntur, futiliter, inutiliter, aut noxiè deciduntur, avertere, cavere, resecare, aut exesse à Theologicis jubet, non inducere, aut nimis ventilare. In omni ergò Controversiâ & Certamine attendit, an ad praxin pietatis conducat, talia disceptare, an potiùs ad eam noxium sit, ac ab eâ ingenia avertat, & ad inutiles rixas tantùm componat? Et si hoc, satius de quæstione tacere, quàm disceptare, judicabit. *III. Quæ curiosa magis, quàm fructuosa in spiritualibus sunt, resecare & omittere, non ventilare aut pertractare Prudentia jubet.* Curiosorum enim nec finis facile est, nec ubi diu disceptata fuerint, usus eorum ad rem satis pertinens deprehenditur, ob quem tantâ disceptatione ea ventilari mereantur. Et curiositas vanitatis ac impietatis mater plerumq; esse solet. Ita in *Scholasticis* infinita curiosa quæruntur, quorum nec finis, nec fructus est, *t. 8. Huc & pertinet, quòd prudentia momenta quæstionum attendit*, an fundamentum fidei concernant, an præter extraq; illud decurrant? Et de fundamentalibus ita controvertendum monet, ut modus & ratio tandem habeatur, veritas certò constituatur, in eâ inventâ quiescatur, & in mysticis semper multa non liquere necessariò consideretur, frustra omnia inquirantur aut decidi postulentur, Ut Patres & Theologi magno numero confitentur, *Et Tr. de non liquendo* ostensum. Ita etiam de illis disceptare monet, ut perpetuò ad consensum sententiarum, quantum fieri potest, maximè laborandum censeat: De minùs fundamentalibus dissensus faciliùs ferre docet, modum tamen & hic habendum tradit, ne in infinitum aut nimis curiosa disceptatio excrescat, ut ante dictum. Et *in Michaëlibus* quædam ostensa sunt.

10. *IV. Prudentia Theol. praxin Christianam ubiq; attendere docet, ut ea observetur, inducatur, promoveatur*, Hæc enim summoperè à Christo & Apostolis jussa est, *Matt.7.v.21. Rom.13.v.12. Phil.4.v.8. Hebr.12.v.14.* Disceptare autem de omnibus Theologicis sub tantâ necessitate jussum non est. Quæstiones ad praxin parum facientes, ad contentionem tantùm ducentes, eoq; animos hominum parantes & obfirmantes, resecare svadet, non nimis solicitè movere, tractare, aut velut Cœlum inde pendeat, æstimare. Hoc enim ab Apostolo jussum est, 1.*Tim.1.v.4. C.6.v.4. seq.*

2.*Tim.*2.*v.*16.23. *Tit.* 3.*v.*9. Omnia quæſita ad unguem ſecare nuſpiam juſſum eſt, Ut *Lib. d. fid.Chriſt.* pluribus deducetur. *V. Prudentia errores prorsùs in loco incognitos diuvè ſepultos non facilè aut ubivis diſſerere facit.* Tales enim apud ignorantes diſſerere, de novo velut incautis animis ſerere eos fuerit. Eoq; animi infirmiores facilè ſiniſtri quid talibus abſurdis ſententijs imbibant, quod difficulter poſtea evellas, etiam cum maximè cupias. Ita rectè *Brochmand. L.C. d. Miniſter.ſ.*4. monet, circa elenchum obſervandum eſſe, *ne iſtorum errorum pro Concione adducantur refutationes, à quibus nihil in iſto cœtu periculi metui poſſit.* Secùs facturum jure auditurum, quòd circa quæſtiones & logomachias inſaniat, 1.*Tim.* 6. *v.*4. Nec Prophetas, Chriſtum, Apoſtolos, caſtigaſſe errores jam ſopitos. Similia *Ameſius l.*4. *d.Conſc.* C. 26. *q.* 14. *alijq;* tradunt. Sic veterum *Manichæorum* deliria de duobus Dijs & principijs, bono & malo, *Gnoſticorum* de Cœnâ alijsq; punctis furores, *Borboritarum, Libertinorum*, *Bongomilorum* abſurditates, *Adamitarum* impietates, non facilè in ſuggeſtu ad plebem memorandæ, ſi nunquam de illis plebs audiverit. *Sic* ſi apud Germanos de pæderaſtiis, Sodomijs, maſtuprationibus, multum aut ſpecialiter diſſeras, imprudenter agas, ignota enim illis talia peccata, quæ *Italis, Hiſpanis, Græcis, Orientalibus*, notiora & uſitatiora ſunt. Facile enim in incautos animos ſeminarium impuritatis illabatur, quos ſatius in ſimplicitate ſuâ relinqui, quàm exoticis libidinibus contingi fuerit. *Sic ſi* ſententiæ vehementer abſurdæ ac blasphemæ ſint, tutiùs apud ſimpliciores diſſimulantur, quàm explicantur. Huc illud *Cypriani ad Demetrian.* referri queat, *Verecundius & melius eſt, errantis imperitiam ſilentio ſpernere, quàm loquendo dementis inſaniam provocare.*

11. *VI. Prudentia Theologica errores & perſonas, Dogmata & ſubjecta, hæreſes ac homines & humanitates accuratè diſtinguere docet.* Amicum homini, inimicum errori eſſe facit. Fieri poteſt, ut error ſit exitialis, homini tamen ad exitium non cedat, quòd non ſatis id ei cognitum, eſſe talem errorem, aut aliàs valdè plauſibili veri ſpecie ſe ei commendet, aut etiam pœnitentiâ vel agnitione ab eo tandem eluatur. Sic errori & hæreſi anathema dici poteſt, Ut pro errantibus tamen precibus apud DEum inſtetur, quò error eximatur, illiq; ad meliorem ſenſum reducantur. Aut nos non ſatis ſciamus, an intimè illi de errore in Conſcientiâ convicti ſint, an ſecùs. Quomodo Vetuſtiorem Eccleſiam ſæpiùs cum errantibus proceſſiſſe certum

ait, & *alibi* ostensum est. *V. de non liquendo, t.8.* *Similiter Prudentia Theol. personalia à realibus distinguere docet, non indifferenter confundere*, & realia tractare, personalia omittere, aut sæpè aliò amandare svadet; non integros tractatus meris personalibus aut convitijs in personas farcire permittit, Ut multis usitatum. *VII. Prudentia Theol. argumenta negotij distinguere docet*, probabilia à necessarijs, Cogentia à svadentibus, penetrantia à languidioribus, utilia à superfluis, & ad hominem formatis ab illis, quæ ex naturâ rei formantur, Ut in Log. docetur. *Similiter Sophismata advertere, cavere*, & solvere monet, non illis irretiri aut seduci imperat. Discrimen hic occurrere è Logicis certum est, & sophismatum aliquam curam etiam in Theologicis ob Adversarios necessariam esse praxis contentionum cum illis docuit, Et *Dec.* 1. *Miscell. d.* 8. 9. 10. ostensum est.

12. *VIII. Prudentia Theol. Interdùm modum errorem eximendi, ostendendi, detegendi, hominem lucrandi & convertendi argutum suggerit* & exerceri facit, qui nec in communi foro reperiatur, nec apud obvios passim exerceatur. Sic *Amphilochius* Iconij episcopus apud Theodosium M. Imperatorem, cum ipsum Imper. demissè salutasset, sed non filio Arcadio Imperij consorti parem honorem exhibuisset, sed viliorem, & Imperator excandescens in contumeliam id raperet, ac episcopum loco ejici mandaret, Heus, inquit, Imperator, Itanè contemptum filij tui ulcisceris? Quid Pater cœlestis faciet, cum tuos filium ejus minùs ac Patrem honorandum, meramq; Creaturam esse docere senserit? Annon super eo commovebitur? Quo dicto Imperatorem vehementer commovit, ut ipsum revocaret, & ut Arianorum conventus tolleret, ac disputationes in foro fieri vetaret, effecit. *Sozomen. l. 7. Sic in Concilio Nicæno* Philosophum aliquem à nullo in disputando superandum simplex Vir adortus, nudâ DEI veritate simpliciter propositâ ita prostravit, ut se virtuti verborum illorum ultrà obsistere non posse palàm confessus, & ad Christianismum conversus sit. *Ruffin. L. 1. C. 3.* *Sic* Theopaschitas argutè convicit Alamundurus Saracenorum Princeps, Cum Eutychianâ labe inficere quidam eum vellent. Simulavit enim se eo die literas accepisse, Michaëlem archangelum mortuum esse. Quod cum ipsi riderent, & in angelos mortem non cadere assererent, Quî ergo Vos, ait, Divinitatem in Christo mortuam dicitis, quòd in carne suâ in novam Creaturam abierit; Cum ne angeli quidem moriantur? *Cedrenus*,

Zonaras, Gerhard. Exeg. d. Perſ. Chri. t. 198. Sic religioſus quidam Vir adoleſcentem voluptatibus Corporis perpetuò immerſum & alterum Smyndyridem ſub veſperam, ubi valedixit, & invenis lectum ſelectâ plumâ turgentem oſtenderet, unico *Eſai. 14. v. 11.* dicto, *ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*, ita immutavit, ut totus poſtea in aliam vitam deflexerit, & ad cœlum remigraverit. *Drexel. l. 2. Triſmegiſti, C. 7. ſ. 2.* Sic *Silvanus Tarſenſis Epiſcopus* Aëtianos in Concilio Conſtantinopolitano confudit, ſi filius nec ex nihilo, nec Creatura, nec ex aliâ ſubſtantiâ eſt, ut vos voces eas condemnaſtis: Utiq; Patri ὁμοούσιος eſt, & eandem cum ipſo eſſentiam habet, ut obſtrupuerint illi, quod reponerent, non haberent, & inconditis clamoribus tantùm contra ipſum agerent. *Theoret. l. 2. C. 27.* *Euſebius Vercellenſis* Epiſcopus cum multi in Concilio Mediolanenſi Athanaſij damnationi & Nicæni Concilij derogationi ſubſcripſiſſent, ut id aſtu quodam everteret, & ipſe nomen ſubſcripſit. Poſt *Dionyſij* nomen ſe longè junioris ſuo præpoſitum eſſe, & Arianos patrem filio majorem dicentes, cauſatus, novam Scripturam confici, & ordine nomina ſubſcribi poſtulavit. Ariani vera eum dicere rati, aſſenſerunt. Et cum prima Scriptura exuſta eſſet, novaq; ſubſcribi, & *Euſebius* primò nomen dare deberet, rem magni momenti eſſe, & diligentem diſputationem poſtulare dixit, ſicq; ſubſcriptionem eluſit. *Fulgos. L. 7. C. 3.* Sic Ægyptij Sacerdotes Chaldæorum DEUM ignem, actu eluſerunt, producta Nili ſtatuâ foraminibus cerâ occluſis plena, quæ igne admoto liquefacta magnam vim aquæ profudit, ignemq; extinxit, & DEum Chaldæorum ludibrio expoſuit. *Ruffinus l. 2. hiſt.* Sic *Agrippa Rex* Caligulam officijs cultuq; delinivit, ut quod peteret, ſe ei daturum promitteret. Et hic ne ſtatuam ſuam in templum Hieroſolymitan. poneret, petijt, & confeſtim impetravit. *Joſeph. L. 18 C. 11.* *Flavianus* Antiochiæ Epiſcopus Adelphium Meſſalianum in apertum eduxit, cum convinci non poſſet, quòd blandè ſibi ſeni à ſene, quibus aſtus Sathanæ meliùs, ac junioribus, noti eſſent, explicari peteret, quâ ratione Spiritus malus à nobis recederet, & bonus ad nos accederet. Quod cum ille faceret, totum erroris ſui virus evomuit. *Theodoret. l. 4. C. 10.* *Ingo Venedorum regulus*, cum Nobiles ejus Chriſtianam fidem ſuſcipere nollent, eos cum ruſticis convivio excepit. Et hos ſplendidè, illos parcè præ foribus pane & carunculâ rancida tractavit. Stomachantibus nobi-

Nobilibus, rusticos sacro baptismi fonte ablutos, eoq; mensâ suâ dignos, Nobiles autem sordibus & impietate Ethnicâ squalere, nauseamq; sibi facere dixit. Quo audito multi eorum Christi fidem susceperunt. *Sabellic. l. 3. enn 10.* *Ita prudentia medium servare docet in processu cum hæreticis*, quos nec absolutè interficiendos, eorumq; Libros cremandos tradit, ut Pontificij solent, nec absolutè ferendos ac tolerandos præcipit, ut *Anabaptistæ, Weigelistæ, & Fanatici* volūt, sed debitè coërcendos, & si à seducendo non desistant, incarcerandos, aut loco pellendos tradit, ut *de Med. relig. t. 38.* dixi. *Similiter medium sententiarum inter extremas, si commodè inveniri queat, inquirere, attendere, & recipere jubet.* Ut per id ad moderationem aliquam sentiendi eô faciliùs devenire liceat, quam prudentia immoderationi perpetuò præponit, & præ hac sedulò sectandam ac eligendam svadet. Exempla ejus *c. l.* sat multa visa sunt. *Ita in abstrusis & mysticis* non liquere pro medio arripiendum svadet, & sic totam Controversiam resecat. Sic mundus post annum interibit, aut non interibit, addit, aut totum hoc incognitum est. *V. t. 9.* Exempla *c. l. & de non liquendo* visa sunt.

75. IX. *Prudentia persecutiones in religione amovere, & occasiones rescindere docet, ac publicis calamitatibus miris medijs succurrere quandoq; tradit.* Sic præcavet, ne irritentur infidelium Principum animi, sub quibus Ecclesiæ Christianæ degere quandoq; coguntur, ut in eas exsurgant illasve exscindant. Sic tempore *Attici* Episcopi Constantinopolitani, qui prudens erat, Ecclesia ubiq; plurimum incrementi habuit. Prudenter enim eam administravit, & Orthodoxos in Concordiâ retinuit. *Socrates l. 7. C. 2. 25.* *Sic Idem* schisma ob injurias *Chrysostomo* illatas ortum componere cepit, & mentionem Johannis in publicis precibus fieri jussit, eaq; ratione plures ad Ecclesiam redire fecit, & *Proclus* successor ipsius prorsus istud tandem sustulit, cum Imperatori persvasit, ut Chrysostomi Corpus Constantinopolin in Ecclesiam Apostolorum honorificè transferri & recondi curaret. Sicq; Johannitæ, qui seorsim conventus agebant, ad Ecclesiæ communionem reducti. *Idem c. l. C. 44.* *Sic Idem* cum superstitionis ansam evertere vellet, & ob tumultum de die id agere non auderet, noctu fecit, & Sabbathij Corpus, super quo sepulto sacra Novatiani celebrârunt, effossum alibi recondere jussit. Sic illi à cultu cessârunt. *Idem c. l. C. 25.* *Sic Flavianus Episcopus* Theodosij ob statuas dejectas commoti iras flexit, cùm adolescen-

tes ad mensam Cæsaris lugubres Antiochenorum cantiones decantare jussit, quibus ille ita permotus, ut phialam lacrymis rigaret, urbiq; ignosceret. *Idem c. l. C.23.*

14. *Ad eandem formam Gregorius Episcopus Antiochenus* seditionem in exercitu Mauritij motam idoneâ oratione ex tempore passionis & resurrectionis sumptâ composuit. *Evagrius l.5.c.6. Et L.6. C.11.12.* Sic imprudentissimè Auda Episcopus Persicus egit sub Varane Persarum Rege, & Pyreum templum, in quo ignis à Persis more eorum colebatur, evertit, ac restruendum pertinaciter negavit. Quo exacerbatus Varanes, sub quo profundâ pace Christiani fruiti, Episcopum occidit, omnia Christianorum templa destruxit, Christianos inauditis tormentis è medio sustulit, & ultra 30. annos crudelis persecutio duravit. *Idem c. l. C.8. Theodoret. L.5. C.38.* Quod ingens Christianitatis damnum unicâ prudentiâ & moderatione Episcopi præcaveri potuisset. Cum enim Christiani sub idololatrico rege in altâ pace tolerarentur, par fuit, ut & illi templa eorum tolerassent, non vi dejecissent. *Sic cum Cosroës* Persa omnia ignibus vastaret, Ephraimius Antiochiæ Episcopus Urbem & loca circa eam sacris monumentis undiq; exornavit, ut ea lytri loco essent, quo ab hostium violentiâ redimerentur. *Et Thomas* Apameam servavit, quòd cum Cosroë simul equestre certamen in circo spectavit, quod aliàs per Canones ei non licitum. *Evagrius L.4.C.24.25. Eusebius Alexandrin. Episcopus* urbem à Romanis obsessam fame & interitu liberavit. Ducem enim rogavit, ut qui spontè se ei dedidissent, illis vitam daret. Quo impetrato Alexandrinis persvasit, ut bello ineptos, senes, mulieres, pueros, morbidos, excedere juberent, ne annonam militibus debitam absumerent. Eo facto noctu egressi, infiniti alij prætextu illo unà excesserunt, & ferè omnes obsessi incolumes servati sunt. *Eusebius l.7. C.26. Mosis cujusdam* Saraceni solitarij ob pietatem, constantiâ, & miracula celebris famâ, ingens bellum à Rom. Imperio, à quo Saraceni defecerant, bellumq; ei intulerant, aversum fuit. Eum enim *Mavia* Saracenorum regina gentis suæ episcopum à Romanis designari cupiit, Illoq; impetrato bellum subitò extinctum fuit. *Socrates L.4. C.29.* Sic precibus *Jacobi Nisidis episcopi* cyniphes ac culices divinitùs in Saporis exercitum immissi homines & elephantos divexârunt, ut Sapores obsidionem solvere coactus fuerit. *Theodoret. L.2.C.30. Sic Theodosia* Urbs fide Episcopi ab

ab obſidione Gororanis Perſæ liberata. Cum enim regulus quidam DEUM horrendè blasphemaſſet, juſſit epiſcopus baliſtam in nomine ejus excuti, quem Barbarus impetiiſſet. Fortè in Regulum lapis delatus os & cerebrum ejus comminuit. Quo Gororanes territus obſidionem ſolvit, & pacem cum Romanis iniit, *Theodoret. L.5. C.36.*

15. X. *Prudentia in Principe facit, ne homines leves, Ecebolios, in religione ſimulatores, aut omnia ad gratiam Principis aucupantes, atheos, impios, profanos, circa ſe habeat, ſed maximè ab illis caveat*: *Contrà* autem viros in religione ritè inſtitutos, dextrè Zeloſos, juſtos, conſtantes, candidos, verè pios, prudentes, alat, eorum conſilia audiat, converſatione utatur, quotidiè ab illis melior evadere laboret, in præjudicium veræ religionis non aliquid agat, aut concedat, ac ingentia damna ſe ac Rempubl. à pravo hominum genere reportare cogitet. Exempla *Vedelius L.2. d.prud. Eccleſ. C.3.4.5.6.* habet. Sic enim & ipſe ad pietatem exemplo ſuorum ducetur, & viciſſim proprio exemplo pietatis illis prælucebit, omniaq; dextrè & accuratè adminiſtrare poterit. Contrà ſi agat, ſe & Rempubl. & Eccleſiam in varia incommoda præcipitabit, tandemq; evertere poterit. *XI. Prudentia Eccleſ. in Epiſcopo & Eccleſiæ Doctore facit, ut & ipſe verum religionis Zelum habeat, non tepidus aut ambidexter ſit*, aut religione pro cothurno utatur, *& ut alijs eum dextrè* ingeneret ac immittat, à temerario novandi ſtudio abſtinere facit, niſi veritatis aut accurationis ratio omninò novare poſcat. Tùm enim non glandibus veſcendum, & fruges reprobandæ ſunt. Ita *Prophetarum, Chriſti Apoſtolorum, Huſſi, Lutheri*, exempla præſtò ſunt, qui quà opinionem nova dogmata invexerunt, quando vetera omnia in validam corruptionem abiverunt. *V. Act. 17. v. 19. 20, Marc. 1. v. 27.* Pro veritate ſincerè & conſtanter pugnare, pericula contemnere, fortiter ſuſtinere ac ſuperare facit, mirabilem DEI in ſervandis ſuis providentiam ob oculos ſiſtit, ſanctitate vitæ perpetuò ſuis prælucere docet, ac ſpiritualem ſuperbiam omni modò declinare & excutere jubet. Exempla *Idem L.3. C.1.2. ſeq.* habet. Et in Prophetis, Chriſto, Apoſtolis, Scriptura paſſim nobis exempla ſiſtit. Valde neceſſaria Theologo eſt, ut exempla imprudentiarum in quibusdam docent, *t.14.25.26 Gregorius* de eâ, qui ſerpentis prudentiam in malis columbinæ ſinceritati circa bona miſcuerit, is nec prudentiam ſinet malignam fieri, nec ſimplicitatem ſtolidam, ait *ap. Stobeum ſerm. d. prud.*

16. XII.

16. XII. *Prudentia in rebus adiaphoris multa tolerare, dißimulare, excusare, & in melius interpretari facit, si extra scandalum aut casum Confeßionis licitè fieri poßit*, & adiaphora ipsa ab religione dextrè secernere docet. Regulas enim Apostolicas hic in memoriam revocat, omnia ordine in Ecclesiâ gerenda, 1. *Cor.* 14. *v.* 40. Quæ pacis sunt, sectemur, & quæ ædificationis sunt invicem, custodiamus, *Rom.* 14. *v.* 19. Beatus, qui non arguit semetipsũ in eo, quod probat, *v.* 23. Unusquisq; in suo sensu certus sit, *v.* 5. Nihil immundum, nisi ei, qui existimat immundum esse, *v.* 14. Omnia sunt vestri, Vos autem Christi, Christus autem DEI est, 1. *Cor.* 3. *v.* 22. 23. Circumcisio nihil est, & præputium nihil, sed mandata DEI servare, 1. *Cor.* 7. *v.* 19. In Christo nec præputium, nec Circumcisio aliquid, sed fides & nova Creatura, *Gal.* 5. *v.* 6. C. 6. *v* 15. Standum in libertate, in quam nos Christus asseruit, *Gal.* 5. *v.* 1. Caro empti sumus, ne servi hominum fiamus, 1. *Cor.* 7. *v.* 23. Nemo nos judicet in cibo & potu, aut parte diei festi, Neomeniæ, aut sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum, Corpus autem Christi, *Col.* 2. *v.* 16. Qui diem seligit, Domino facit, & qui non seligit, Domino non facit, *Rom.* 14. *v.* 6. Puris omnia pura, Impuris autem mens & Conscientia eorum inquinata, *Tit.* 1. *v.* 15. Sic de pane azymo aut fermentato in Cœnâ prudentia parùm rixari monet, sed quamvis Ecclesiam suâ libertate uti jubet, Ut *Tr. de Pane*, *s.* 2. monitum. *Sic in Exorcismo* in baptismo adhibendo aut omittendo, non nimis rigidè agere svadet. Inprimis ubi omittendi publica aliqua Causa existit. Habet enim Ecclesia libertatem in his ritibus, ut rectè *Aug. Conf. a.* 15. *&* 21. monet, consequenter potestatem hic dispensandi, & de rigore aliquid remittendi. *Sic in* Megapolitaniâ Principis infans baptisari aliquando sine exorcismo rogatu Principis debuit. Superintendens loci rigidè negavit. Princeps rigore negatæ omißionis commotus prorsùs ad Reformatos deflexit, Cum ante Lutherismo addictus esset. Hoc prudentius præcavere fuisset, quàm ad id rigore nimio occasionem ministrare. Ita *Reformati* quidam ritus quosdam *Lutheranorum* in Cœnâ, baptismo, aliisq; actibus tanquam Papæos, idololatricos, vanos, nimis rigidè infestant & abrogatos cupiunt, cum totũ hoc genus liberæ observationis sit, & in multis superstitionis aut idololatriæ ne umbra sit, ac Ecclesia liberè in his differre possit, non eosdem apud omnes ritus observari necessum sit. Vicißim *Zelotæ quidam ex Vbiquetatis*

patronis nimis rigidè pro suis ritibus quandoq; pugnant, eos reductos, diversos omnes abrogatos cupiunt, etiam cum motu, scandalo, & multorum lœsione, cum ordine ac decenter omnia in Ecclesiâ geri fas sit, non turbulentè, 1. *Cor.* 14. *v.* 40. Et ad ædificationem, *v.* 17. 26. Non enim DEus turbationis, sed pacis DEus est, *v.* 33. Ita *Carolstadius* elevationem panis in Cœnâ nimis rigidè abrogatam cupijt, & cum non succederet, ad *Enthusiastas, Anabaptistas, ac Fanaticos* tandem defecit. *Sic* olim contentio de celebrandi Paschatis tempore in inutile schisma degeneravit, & furiosè Orientales *à Victore* Episcopo Rom. hæretici proclamati ac excommunicati sunt. Cum prudentia utramq; Ecclesiam suo jure pro libertate Christianâ uti posse suggereret, ut & quidam Patres à Johanne Evangelistâ accepisse sese memorârunt, *Et Polycarpus* Judæorum morem secutus est, nec Anicetus ei persvadere potuit, ut deponeret, ut ap. *Euseb. l.* 5. *hist. c.* 24. *Et L.* 3. *d. vit. Const. c.* 5. *Rivetum L.* 2. *Crit. sac.* C. 2. aliosq; legi potest. Sic ubi Ecclesia pressa est, eamq; libertatem non habet, quam meritò habere deberet, super adiaphoris Tyria maria commovere *Prudentia* non svadet, sed potius sistere, & quantum præsens ratio poscit, quiescere jubet, aut aliquid, quod licitè fieri potest, concedere monet, quàm totam Ecclesiam in ingens periculum aut excidium præcipitare.

17. *Prudentia aliter cum docilibus & contritis, aliter cum pertinacibus & elatis procedere jubet, & respectus personarum, locorum, temporum, objectorum, similiumq; accuratè attendere docet.* His enim non distinctis multa alienè occupari necessum est, & non commoda, sed damna & incommoda multa in Ecclesiam invehentur. Sic *Zacharias* duarum virgarum pastoris meminit, decoræ & duræ, C. 11. *v.* 7. Ut partìm duriter, partìm molliter in spiritualibus agendum significet, & Christus in parabolâ olei & vini idem innuere voluit, *Luc.* 10. *v.* 34. Longeq; aliter cum Scribis & Pharisæis, quàm publicanis & peccatoribus processit. *V. Matt.* 15. 16. 21. 23. *Et Marc.* 9. *v.* 12. *Luc.* 7. *v.* 44. *seq.* C. 15. *v.* 4. *seq. alibiq;.* Apostoli similia monita circa infirmos & pertinaces dederunt, *Rom.* 14. *Gal.* 2. 1. *Cor.* 8. *v.* 9. 10. *seq.* Et exemplis ipsi præiverunt, 1. *Cor.* 5. *v.* 3. 4. 2. *Cor.* 2. *v.* 6. 1. *Tim.* 1. *v.* 20. 2. *Pet.* 2. 5. Sic infantibus lac dandum, perfectioribus autem, qui exercitatos sensus habent, solidiorem cibum ministrandũ Author monet ad *Heb.* 5. *v.* 13. 14. Ideq; Corinthiis se fecisse testatur Paul. 1. *Cor.* 3. *v.* 2. Ita Doctorẽ rectè se-

ſecantem verbum veritatis requirit Idem, *2.Tim.2.v.15.* Ut alia dicta contritis, alia obduratis ſuggerere nôrit. Sic eundem lenem & longanimum poſtulat, qui cum modeſtiâ corripiat eos, qui veritati reſiſtunt, ſi quando DEus illis pœnitentiam ad agnoſcendam veritatem largiatur, & à laqueis Diaboli, à quo captivi tenentur, reſipiſcant, *c. l. v. 24. ſeq.* Et experientia teſtatur, quòd ubi cum confractis rigidè proceſſum eſt, à rectâ fide ad heterodoxiam deſciverint. Et ubi cum pertinacibus nimis molliter actum, in errore aut impietate firmati illi, nunquam ab illis poſtea avelli potuerunt. Prudentia itaq; hic moderamen tenere debet, ut advertat, cum quibus, & coram quibus, ac ad quales procedi debeat, ut pro circumſtantiarum ratione vel baculum durum vel mollem adhibeat, *Zach. 11.* Non alterum cum altero confundat, aut loco unius alterum alienè adhibeat. Sic dura corda lege conterenda, & contrita Evangelio erigenda ſunt. Si id immutes, & contritos lege terreas, induratos Evangelio mulceas, omnia intempeſtivè adhibeas, ingentia damna apud ſubjecta invehas, ad deſperationem aut Epicureiſmum viam aperias, & diverſa Prudentiæ munia inconſultò confundas. Quidvis ſuo tempore diſtinctè agendum, non omnia confusè vel damnosè converrenda, aut permiſcenda ſunt.

18. *XIV. Prudentia modum in docendo, exhortando, inſtigando, increpando, corrigendo & laudando tenere docet, ut nullibi agat, quod nimium eſt, ubiq; quod ad rem & decorum facit, peragat.* Sic ubi *laudandi* occaſio eſt, ita laudare faciet, ut multum adhuc ſupereſſe, quod occupari debeat, intelligat, qui laudatur. Ubi *corrigendi ac increpandi*, ſic increpabit, ut & aliquid laudis interſpergat, poſſeq; melioribus multa dehinc immutari intelligatur. *Ubi docendi & exhortandi*, ſic agat, ut ſtimulis ſe fodicari advertat is, qui admonetur, non in vanum aut dicis gratiâ monita ſibi admoveri ſentiat. Et exemplis ob oculos clarè poſitis maximè hic inflammabit, hæc enim efficaciſſimè docere, appoſitè movere, mirificè flectere, & vehementer incitare ſolent. Sic cum Davidem Regem Nathan Propheta objurgare vellet, appoſitè moderamen prudentiæ obſervavit, & non ſtatim propoſitum ſuum manifeſtavit, ſed elegante parabolâ adductâ ad cognitionem ſui eum deduxit, ut ſub alienâ perſonâ magnitudinem proprij facinoris ſerâ æſtimatione perſpiceret, *2. Sam. 12. v. 1. ſeq.* Sic prudentia Prophetica & Politica Davidi dictabat, Joabum belli ducem non interficere, etſi publi-

publicus homicida ille, quia Vir magnæ authoritatis, egregius belli Dux, publicè utilis, & in maximo apud Iſraëlitas æſtimio erat, à cujus nutu multa millia in Iſraële pendebant, & David novitius rex tantùm, nondum inter tot factiones regni ſatis confirmatus erat, *2. Sam. 3. v. 27. ſeq.* Sed ultionem ad ultimum Salomoni filio ex ſpiritu Prophetico commendabat, *1. Reg. 12. v. 6.* Sic prudentia interdum, quod è veſtigio facere non licet, differre, & momenta temporum captare docet. Ita ſi intempeſtivè aut liberiùs aliquem objurges, magis irritabis, quàm emendabis, & offendes, quàm corriges: Quem ſi ſuo tempore adoriaris, lucrari & emendare queas. Non tantùm videndum, an verum bonumq; ſit, quod dicis, *ſed & an is, cui dicis, veri boniq; patiens ſit.* Inde tempus laudandi & vituperandi, incitandi & dehortandi eſt, *Eccles. 3. v. 2. ſeq.* Quod prudentia obſervare & captare jubet, non negligere. *V. Sirac. 20. v. 1. Prov. 9. v. 8.* Sic de Meſſiâ dicitur quòd eruditam illi linguam DEUS dederit, ut ſuſtentare verbo eum, qui lapſus eſt, ſciat, *Eſai. 50. v. 4.*

19. *XV. Prudentia Theologica non omnes actiones etiam magnorum Virorum in Eccleſiâ imitandas ſemper ducit, ſed tantùm notandas & obſervandas, non numerandas, ſed ponderandas cenſet*, & quæ imitationem merentur, eas imitari, quæ reprobationem, reprobare jubet. Sæpiùs enim fit, ut & magnis luminibus in Eccleſiâ tenebræ, quibus obfuſcentur, interjiciantur, & nullum ingenium ſine mixturâ dementiæ inveniri, etiam hic verum conſpicitur. Hoc & Scripturæ & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ teſtimonijs planum fit. *In Scripturâ Moſis, Aaronis, Davidis, Prophetarum* quorundam, *Apoſtolorum*, aliorumq; graves lapſus notatos obſervamus. Quos non imitari, ſed cavere prudentis eſt. *In hiſtoriâ Eccleſiaſtica* ingens farrago imprudentiarum eſt, quas magni in Eccleſiâ Viri commiſerunt, ut *Chryſoſtomus, Epiphanius, Theophilus* Alexandrinus, *Origenes*, Auda, *alij*, ut progreſſus docebit. *t. 25. ſeq.* Sic *Chryſoſtomus* iracundior, rigidior, & inflexibilis quandoq; fuit. Cum ipſi ſimultas cum Severiano Epiſcopo intercederet, quam Eudoxia Imperatrix ſublatam cupijt, adeò ad veniam flecti nequijt ille, ut & filiolo Theodoſio jam Imperatore & Patris Collegâ ad genua ejus abjecto, varieq; adjurato eo, vix remiſſionem ab eo extorqueret. Quibus rebus æmuli hoſtesq; ejus in non parvas difficultates eum conjecerunt. *Ita contra Siſinnium* Novatianorum Epiſcopum, mitem ac prudentem Virum, plus

 æquo

æquo rigidum se præstitit. Negabat *Chrysostomus*, Urbem Constantinop: duos Episcopos habere posse. Sisinnius nec etiam habere respondit. *Chrys.* commotior, Video, ait, te solum velle esse Episcopum. *Ille* contrà, Non id volo, ait, sed quòd tibi soli non sim Episcopus, cum alijs sim. Iterùm *Chrysostom.* Efficiam, ait, ut non ampliùs tibi concionari liceat, nam hæreticus es. Tum ille placidè, Ego verò etiam mercedem tibi dabo, si tanto onere me liberaveris. Ad quod mitior hic, cum molestum tibi concionari esse videam, ait, nolo impedire, quò minùs in concionando pergas, nihilq; molestiæ illi ampliùs exhibuit.

20. *Idem* ubi vitia imperantium reprehendit, & severè in vitia Cleri detonuit, in peccata universorum ac singulorum rigidissimè invectus est, in odium Imperatoris, Imperatricis, Principum, Cleri, & populorum gravissimum incidit, milleq; machinæ ac insidiæ in illum structæ, ut non solùm episcopatu privatus, in exilium ejectus fuerit, sed & vitæ ejus per subornatos sicarios insidiatum fuerit. *Ita obsessus* quidam in eum subornatus, qui pugione in illum armatus deprehensus fuit. *Postea* Elpidij presbyteri servus in ædes Episcopales irruit, obvios quosdam cædit, vulnerat, & insidias in Chrysostomum paratas fatetur. *Sozomen. L. 8. C. 21.* Hic prudentius fuit, paulò mitius hæc egisse, nec talia imitanda, sed ut fugienda potius suscipere. *Sic Idem* curæ docendarum Ecclesiarum tantùm intentus, quâ summâ cum laude defunctus est, insidiarum contra se structarum nullam prorsùs rationem habuit, eoq; circumventus, & statu suo tandem dejectus fuit. *Secrat. L. 6. C. 9.* *Sic Paulus* Vir Orthodoxus & pius nullas adversantium insidias à se depulit, etsi à plebe adamatus esset. Unde Episcopatu tandem dejectus, & Arianorum fraude strangulatus fuit. *Sozomen. l. 3. C. 3.* At utrumq; prudenti hic attendendũ fuit, & Ecclesiæ curæ incumbendum, & insidiarum depellendarum ratio habenda fuit. Alterum facere, & alterum non omittere par fuit, & à prudentiâ innocenti suggeri debuit. *Ita inter Epiphanium & Chrysostomum*, etsi magni Episcopi, multa acta, quæ prudenti prorsùs non imitanda aut exprimenda sunt. Circumventus ab Theophilo Alexandrino, qui Chrysostomum loco dejicere intendit, *Epiphanius*, multa palàm in Chrysostomum machinatus est, quæ eum non decuerunt. Litigans cum eo, spero ait, te non moriturum Episcopum. Et alter, spero, ait, te non vivum in Civitatem tuam reversurum

surum esse. Contigit, quod utriq; sperârunt. *Chrysostomus* in exilium actus, & *Epiphanius* in illo ipso itinere mortuus est. At utrumq; non malum, sed potiùs bonum de altero sperare & optare decuit. *Idem Epiphanius Ammonium* & Dioscorum fratres hæreticos proclamabat, & Imperatorem ad puniendum stimulabat, cum nec libros eorum legisset, nec cum discipulis eorum locutus fuisset, & illi prorsùs contrà cum ipso egissent. *Socrates L.6.C.7.9. Sozomen. L.7.C.15.*

21. Sic *Simeon Monachus* sub Justiniano Morionem se simulavit, stuprum ancillæ intulisse asseruit, in domum meretricis ingressus, diuq; moratus comedit & bibit, aliaq; egit parum statum talis Viri addecentia, ut ita à spirituali superbia sibi caveret. *Evagrius L.6.C.33.* Quæ remedia ipso malo deteriora fuerunt. *Alius quidam Monachus Thomas* in Cœlesyriâ austeram vitam agens fatuitatem simulavit, colaphos ab alijs immeritus sustinuit, aliaq; parum statui ejus convenientia peregit, ut eandem superbiam spiritualem excuteret. *Idem c.l.* Ita multa imprudentiarum exempla commissa à sanctis, *t.19.20.* Quæ ad imitationem trahenda non sunt. Prudenti videndum, quid quibusq; temporibus conveniat, quid Ecclesiæ sui loci, temporis, & status expediat, Quid ex Conscientiæ solidâ ratione fieri debeat, quid præsens necessitas ferre velit, quid ferre recuset, quæ media temporibus congruè conveniant, quæ respuantur, satiusnè agere, an omittere sit, plus usus ex resistendo, an concedendo ad Ecclesiam redundet, & quæ similia sunt, à quibus salus Ecclesiæ, quæ suprema in Ecclesiasticis lex esse debet, dependere sæpiùs in hoc mundo & circumstantijs omnibus poscentibus cogitur, & quibus neglectis aut eversis ipsam varijs miserijs implicari aut succuti necessum est.

22. *Affine* præcedenti & hoc monitum esse potest. *XVI. Prudentia Theol. accuratè exempla distinguere docet, non temerè quævis quibusvis aptare, aut commiscere, aut confundere permittit.* Exempla enim summoperè variant, & quædam heroica, alia prorsùs extraordinaria, alia vitiosa & fugienda. Ut ea, quæ *t.19.seq.* narrata, alia inimitabilia & impossibilia nudo homini sunt, alia pro tempore necessaria, alia Vet. Testam. propria, alia in se illicita, sed ex peculiari mandato suscepta fuerunt, ut mactatio Isaaci, spoliatio Ægyptiorum, alia aliter se habent. Ubi non delectum habere, sed omnia sibi aut præsentibus aptare, omnia licita existimare, cœlum cum terra

confundere, & damna in Ecclesiam inferre est. *Sic Christus* 40. diebus jejunavit, aquis corpore suo inambulavit, Verbo morbos omnes propriâ vi sanavit, quæ nullus homo sibi aptare potest. *Ita ineptè* interdùm in Polemicis Theologi sua facta exemplis Christi defendunt & excusant, & cum nihil aut parum Christi se habere ostendant, vitia tamen sua & rigorem in Adversarium, parum quandoq; id meritum, rigore Christi erga Scribas & Pharisæos exserto defendere laborant. Cum immane discrimen inter ipsos & Christum sit, nec quæ illi licita, & ipsis licere præsumere debeant. Sic flagello templo ementes ejecit, *Luc.* 19. *Joh.* 2. Quod non reliqui Theologi agere debent. Ita corda ac cogitata Pharisæorum ille inspexit, & ad ea sæpiùs, quàm verba & quæsita respondit, *Matt.* 9. *v.* 3. *seq.* C. 22. *v.* 18. *Joh.* 8. *v.* 7. Unde *Chrysostomus in Matth.* 9. *DEUS plerumq; ad animam loquitur, non ad Corpus, Voluntatibus respondet, non verbis.* Profunda enim Cordium videre potuit, Nos non, adeoq; de externis verbis tantùm & quæstionibus judicamus, ultrà penetrare non possumus. Sic Petrus verbo Ananiam & Saphiram mentientes occidit, *Act.* 5. Paulus verbo Elymam excæcavit, *Act.* 13. *v.* 11. Quod nulli Theologo imitandum, etiamsi miraculorum dono instructus esset. Cui generaliter præceptum, Diligere inimicos, non occidere aut damno Corporis afficere. Christus multa egit ut Dominus, herus, filiusq; domus suæ, *Hebr.* 3. *v.* 6. Et hæres universorum, *Heb.* 1. *v.* 2. Ac Magister unicus, *Matt.* 23. *v.* 8. *seq.* Pro potestate ac authoritate eâ, quam habuit in omnia & singula. Cœteris agendum, ut ministris & fratribus sub Christo, *Matt. c.l* C. 20. *v.* 26. *Luc.* 22. *v.* 26. Non aliter, & hoc Prudentia perpetuò observare docebit. Secùs si procedatur, imprudenter agitur, & commodo Ecclesiæ non inservitur, sed damna ei inferuntur. Ita ineptè *Jesuita Jac. Schenkius Nobilis Bavarus* fugam ad Jesuitarum ordinem invitâ matre susceptam, cum solicita & grandæva mater precibus eum indè retrahere vellet, facto Christi excusat, quòd non ad ploratum matris è cruce ille descenderit. Ut ex *Hasenmull.* narrat *Gerhardus T.* 7. *L. C. d. Conj. t.* 521. Cum nec facta, nec subjecta, nec rationes pares hic, omnia dissimilima sint. Huc illud *Siracidis* pertineat, Non admittit impius Censuram, & aliorum exemplis propositum suum tueri novit. *C.* 32. *v.* 21.

23. *XVII. Prudentia Theol. modum docendi acroamaticum & exoteri-*

cum

cum perpetuò distinguere docet, non confundere, commiscere, aut perinde habere. Magnum enim utriusq; discrimen, & quod in uno admittitur, in altero ut alienum, noxium, & ridiculum respui potest, ut exemplis concionum ac disputationum jam in *Iren. contin. p.4.t.22.* monui. *Multa* in homilijs & concionibus ut populariter dicta feruntur, quæ sub accuratius examen revocata non admittentur. *Multa* ad praxin & devotionem valent, quæ ad accuratum scrutinium parum movere poterunt. *Sæpiùs Patres* in homilijs egrediuntur, excedunt, allegorias sectantur, quæ contra adversarium non dicerent. Id *Gregorius, Chrysostomus, Augustinus, aliiq;* agnoscunt. Et ex hodiernis *Meyfartus*, Polemica, ait, fermè ad suggestus non pertinent, *Conc. in Gustavum Sveciæ Regem, p. 19. Lutherus* multa in Scholis inter doctos disputari posse ait, quæ non vulgò in Concionibus proponenda, aut pro articulis fidei habenda sint, *T. 8, Jen. f. 375. super 1. Cor. 11. Hulsemannus* elenchtico genere apud plebem parciùs uti, didascalico potissimum tyrones incumbere jubet, & Calvinismi mentionem vix toto anno à se in Concionibus auditam ait, *p. 370. 371. Calu. irreconc.* Mores potiùs in Concion. formandi, quàm dissertatiuncula aut altior doctrina. Hoc expedit & necessarium est in confuso hoc & vitioso ævo, ait *Lipsius C.3. Belg. ep. 49.* Similia apud *Nicandrum, Arndtium, Varenium, aliosq;* occurrunt. Sic exempla diversitatum in utroq; genere *t. 8. 9.* notata. Et *Scholastici* infinita curiosè in disceptatis dissecant, quæ si pro Concione disseras, auditorum patientiâ abuti videaris. Vulgus, è quo potissima concionis pars, nec gnarum talium, nec capax: Eoq; illi talia differere, tempus, oleum, & operam perdere est. Omnia autem in Ecclesiâ ad ædificationem fieri debent, *1. Cor. 14. v. 26.* Non fodicationem, simplicationem aut destructionem.

24. *XVIII. Prudentia Theol. calumniam è Theologicis materijs abesse jubet, præcavet, tollit, nec ex toto, nec parte admittit, & sinceritatem ac candorem in omnibus servandum præscribit & commendat.* Ingens ac Sathanicum ea vitium est, & passim per civilia ac spiritualia grassatur, Ut *Tract. de Calum. Theol.* ostendam. Primus Calumniator præcepti DEI Sathan extitit, *Gen. 3. v. 1.* Unde Diabolus, Doricè Zabolus, Adversarius, vocatur, isq; malum per omnes status dispersit, fovet, promovet, & quotidiè per suos exerceri facit. In multis remora fuit, quò minùs ad Conciliationem ali-

aliquam dogmatum in Theologicis procedi potuerit; quâ excusâ faciliùs in eâ profici potuisset, ut alibi dictum. Vilitate, Sathanicâ origine, nocivitate vitij attentâ, *Prud. spiritualis* sedulò cavere jubet, ne vel ex toto, vel parte Adversarij, vel ullius hominis sententia per calumniam pervertatur, sed candidè adducatur, non in invidiam, detorsionem, malignitatem, abripiatur, potiùs secundùm mitiꝰ ex nonnullis, ubi dantur, molliatur, quàm rigidius ex alijs asperetur. Sic enim nobiscũ procedi volumus, Ut in *Iren. t.* 15. *Et defens. p. 4. t. 18. alibiq;* dixi. *Similiter* cavet, ne quod paucorum in sectâ aliquâ est, omnibus in universum imputetur, cum quosdam aliter sentire certum sit, ut inter *Reformatos*, *Pontificios*, *& Lutheranos* quandoq; est, ut de *Conciliando t.* 17. dixi, & schismata in omnibus sectis ferè occurrentia ostendunt, ut *Epit. Theol. l. 2. C.* 10. dictum. *Sic etiam videt, an inter extrema medium dextrè inveniri queat*, illudq; satius extremis adhibeatur & usurpetur, *Ut t.* 12. jam monitum. Exinde aliquid calumniæ quà extrema fortè intercurrens eximi queat.

25. *Hactenùs de Prudentiâ spirituali* ejusq; effectis & rationibus actum. *Oppositum ejus est Imprudentia Theol: Vitium spirituale, in spiritualibus stupiditatem ac alienitatem animo inducens, quà in rebus Ecclesiasticis indecorè, inutiliter, & noxiè ad damnum Ecclesiæ administrandis, promptus paratusq; ille efficitur.* Ex definitione Prudentiæ *t. 5.* traditâ facile patere potest. *Excessu ac defectu*, Ut omne aliud vitium, constare potest. *Excessu*, ubi prudentia Carnis, astutia, dolus, fraus, solicitudo immodica temporalium & futurorum occurrit. *Astutia* est pravorum mediorum ad fallendum aptorum notitia cum affectu exequendi conjuncta. Græcis πανουργία, *2. Cor. 4. v. 2.* *Dolus* est astutiæ in verbis aut factis executio. *Fraus est* astutiæ per facta executio. *Defectu*, ubi præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, & negligentia. *Præcipitatio* est proposito fine statim operis aggressio, priusquàm de medijs aut modo exequendi deliberâris. *Inconsideratio* est omissâ diligente & sufficiente inspectione judicatio. *Inconstantia* est sententiæ sine justâ causâ mutatio. *Negligentia* est executionis oportunæ in re judicatâ omissio. Et totuplex esse potest, quotuplex ipsa prudentia spiritualis fuit, *V. c. l.* Unde publica & privata, propria, aliena, & mista, naturalis & acquisita, & similis esse potest. *Exempla* ejus in Veteri & novâ Ecclesiæ ætate sat multa occurrunt. De Veteri *t.* 19. quædam notata sunt. *In novâ*

quot

quot calamitates per imprudentiam Ecclesiasticam, contentiones, diffidia, factiones, æmulationes, inordinatum Zelum, illicitos affectus, errores, insidias, similiaq; Episcopi & Ecclesiæ rectores interdùm intulerint, Vetus & nostra historia loquitur. *Auda* Episcopi Persici imprudentia Pyreum Persarum destruentis, toti Ecclesiæ Persicæ internecionem in regno illo intulit, *t*. 14. *Sic Ursinus* quidam imprudens Diaconus Damasum sibi in Episcopatu Rom. prælatum iniquè ferens imperito aliquo episcopo persvaso & turbulentorum hominum manu collectâ, contra legem ac ordinem se episcopum fieri extorsit, unde bella & seditiones ortæ, ex plebe & clero multi suppliciis affecti, & Ecclesia Romana vehementer concussa fuit. *Socrat. L.4.* C.24. *Nestorij* imprudens superbia ingenti schismate Ecclesiam concussit, quòd antiquitatis Ecclesiasticæ imperitus esset. *Socrat. L.7.C.32.* *Theophili Alexandrini* Chrysostomum æmulantis invidia schisma 35. annorum concitavit. Qui enim Chrysostomo adhæsere, peculiarem sectam condiderunt, cui Johannitarum nomen fuit. Inde cædes, incendia, supplicia, exilia, aliaq; mala gravissima in Ecclesiâ orta. *Idem L.6.C.16. Et Sozomen. L.8. C. 21. seq.*

26. *Arij* presbyteri imprudentia & superbia horrido schismate, & tandem hæresi, Orientem ac Occidentem concussit, & in tres partes Ecclesiam dissecuit, *Arianorum nempe, Orthodoxorum, & Tertiorum*, qui verborum pugnas fugere, & mentem Nicænæ Synodi se tenere professi sunt. *Sozomen. L.3.C.12.* Ac in hodiernum diem semina errorum in Ecclesiâ durant. Occidentem tamen non ita amplè pestis ea infecit, quia Constans & Constantius illi imperabat, qui Orthodoxi, Orienti autem Constantius, qui Arianus erat, *Theodoret. L.5.C.6. Luciferus Cataritanus* Episcopus schisma Antiochenæ Ecclesiæ in Melethianos & Eustathianos scissæ curare volens, imprudenter illud auxit, & Eustathianæ parti episcopum Paulinum præficiens, prorsùs eam à Melethianâ avertit, quam cum Orthodoxâ Ecclesiâ unire magis intendere debuit, quàm ampliùs avertere, & schisma 85. annis duravit. *Socrates L.2.C.4. Synodi Ariminensis* imprudentia fecit, ut *Ariani* obtinuerint, quod voluerunt, & Orthodoxorum decreta irrita redderentur. Major pars Synodi Orthodoxa erat: Episcopi 400. & ultrà, Ariani 80. tantùm. Conventum tandem, ut decem Legati ex utraq; parte ad Cæsarem mitterentur. Orthodoxi juvenes, parum versatos, imperitos, & imprudentes, Ariani veteranos, doctos, eloquentes, callidos, mittunt.

Cæſar naturâ non malus, & pacis Eccleſiæ cupidus, ab Arianis perſvaſus poſtulatis eorum aſſenſit. Cœterorum decreta in eos aboleri ſivit. *Sulpit. L. 2. ſacr. hiſt. ad an. 359.* Sic ſub Juliano Apoſtatâ multi militum per imprudentiam lapſi, & dum aurum à Cæſare pro more acciperent, primùm thus in aram eò locatam injecerunt, & ſic idololatriam gentilium tacitè profeſſi ſunt. Poſtea fraude animadversâ planctu omnia complere, palinodiam canere, & ſe Chriſtianos ac à Cæſare circumventos eſſe, clamare cœperunt. Donec à Juliano in exilium acti, & extremas Romani imperij oras inhabitare juſſi ſunt. *Theodoret. L. 3. C. 15. 16.* Per imprudentiam *Epiphanius* à Theophilo Alexandrino circumventus omnia contra *Chryſoſtomum* commovit, donec Epiſcopatu dejectus in exilium ille ageretur. *Socrat. L. 6. C. 9.* *Origenes* ut ad epiſcopatum inhabilis eſſet, ſibi ipſi virilia inſcitè amputavit. *Baronius ad an. 253. ſ. 44. Euſebius L. 6. C. 6.* *Nic: Hunnius* communem querelam fatetur, adverſarijs non ſufficiente prudentiâ, ut neceſsitas requiſivit, obviatum eſſe, *in Conſult. C. 15. t. 234.*

27. *Similiter prudentiæ Spirituali oppoſita eſt prudentia Mundi & hujus ſeculi*, φρόνημα τῆς σαρκός, quam inimicitiam contra DEUM Apoſtolus apellat, *Rom. 8. v. 7.* Ubi peſſimè Philoſophiam eo nomine quidam hoſtes ejus intelligunt, de quo *in Coron. Log. t. 28.* dictum. Et ſapientia de inferno, oppoſita ſapientiæ de ſuperno, terrena, animalis, Diabolica, *Jac. 3. v. 15.* Ubi filij hujus ſeculi ſemper prudentiores filiis lucis ſunt, *Luc. 16. v. 8.* Et quæ ingentia damna Eccleſiæ ac rei Eccleſiaſticæ inferre poteſt, *t. 4.* Effectusq́; fermè contrarios habet illis, quos prudentiam ſpiritualem habere *t. 7. 8. ſeq.* recenſitum. Sic cum prudentia ſpiritualis Controverſijs modum ponere, certum ſcopum figere, curioſa reſecare, praxin Chriſtianam attendere & reducere, ſimiliaq́; agere jubet, Prudentia Mundi Controverſias in infinitum extendere, nullum ſcopum aut vanos & alienos attendere, curioſa ſolicitè indagare ac diſcutere, praxin Chriſtianam vilipendere & evertere, ſimiliaq́; prioribus contraria agere & occupare jubet. Hanc in Eccleſiâ diligenter fugere, removere, & excutere debemus, non admittere, exercere, aut laudare. Sic verſutia humana in ſpiritualibus amovenda. *Zach. 7. v. 10. C. 8. v. 17. Prov. 12. v. 8. C. 24. v. 9. Epheſ. 4. v. 14.* Non enim eſt ſapientia, nequitiæ diſciplina, nec cogitatus peccatorum prudentia, ſed nequitia & execratio, *Sirac. 19. v. 19. 20.* Sic *Theophilus Alexandrinus* verſutus fuit, & verſutiâ ſuâ Epiphanium callidiſsimo conſilio ſibi amicum

eum contra Chrysostom. reddidit, *c.16. Idem* Monachos in se irruentes & occidere statuentes callidè elusit, cum perindè ipsos aspexisse se ait, acsi faciem DEI vidisset, quo iram eorum à se avertit. Cum potiùs se Diabolum videre ipsi visum fuerit. *Sozom.L.8.C.11.*

28. Quæri circa hæc solent, 1. *An ergò omnis prudentia humana damnanda sit?* Quæ perfectio est, non, ut prudentia Ethica, Politica, Juridica, Oeconomica, Medica, Mechanica, sed quæ defectio & vitiositas est, *Jac. 3.v.15.* Ac inimicitia contra Deum est, *Rom. 8.v.7.* 2. *Quando carnalis & damnata fiat illa?* Cum directè se sapientiæ divinæ opponit, *Exod.5.v.2. Job. 21.v.14.C.22.v.17.* Et medium impietatis & injustitiæ fit, *Exod. 1.* Sibi fidit & à DEO deficit, *2.Reg.5. Esai 36. Jerem. 9.v.23. Ezech.28.* Et alibi. 3. *Quâ ratione homo ad contemnendam eam inducatur?* Si origo ejus spectetur, quòd à Sathanâ & carne sit, Indoles, quòd Sathanam spiret, & nocivitas, quòd hominem perdat, *Prov.11.v.3.* Societatem humanam evertat, *2.Sam. 16.* A DEO infatuetur, *1.Cor.1.* Magisq; alienos à regno DEI faciat, quàm simplex stultitia, *Ibid. v.26.seq.* 4. *An imprudenter Abigail maritum suum Nabalem apud Davidem insectata fuerit, 1.Sam.25.v.25.* An potiùs prudenter egisse, & ingens periculum à domo suâ declinasse videri debeat? In utramq; partem rationes non desunt. In summâ perturbatione talia dixit, & partem de vero traxerunt; Vesania Nabalis ea promerita est, & sæpè Sp.S. multa narrat, quæ non in omnibus probat, *V. Luc.16.v.8.* 5. *An imprudenter Laurentius egerit, mortem potiùs & sæva supplicia eligens, quàm Ecclesiæ thesauros Decio Imperatori postulanti tradere voluerit?* Et hic rationes in utrumq; sunt. Vita enim omni thesauro præstat, potiusq; redimenda, quàm thesauri servandi, Omnia pro vitâ homo relinquit, *Job. 2.v.4.* Cæsar temporalia poscere, & subditus relinquere ac amittere potuit, Rectiùsq; Judæi didrachmum templi Imp. Romano penderunt, quàm totam gentem excidio subjecerint, *Matt. 22.v.21.* *Sed rectiùs Lautentius* negavit, quàm tradidit. Malo enim fine ea Decius quæsivit, ut Ecclesiam perderet, & pecunia publica fuit, non privata, fidei Laurentij ut publici custodis concredita, quam ut propriam alienare non potuit, ac ingens damnum pauperibus Ecclesiæ illatum fuisset, si Tyranno eam extradidisset. *Plura* alibi traduntur.

29. *Cognatum Prudentiæ Theologicæ Prudentia Civilis & Politica est*, de quâ in Ethicis, Politicis, & Juridicis doceri solet. Sic Sophismatibus Politicis & strategematibus proceditur, quando aperto Marte procedere

non licet, vel non securum aut utile est. Ubi vis valere non potest, ibi ars prævalere debet: Et ubi leoninâ non proficitur, vulpinam assvendam esse consulere solent. Ut cum populus â pravâ consvetudine vi avocari nequit, prudentia eum nihil tale cogitantem ad aliam traducere debet. *Josua* strategemate contra Ai ex mandato DEI rectè usus est, *Jos. 8. v. 2. seq.* Illustre prud. exemplum in sacris *in Salomone est 1. Reg. 3. v. 16.* In profanis insigne in *Judice quodam Hispano est*, qui inter homicidas reum in negando cœteris audaciorem deprehendit, quòd pectora nudare jussit, eaq; tactu explorando unius majore cordis tremore pulsare animadvertit, eumq; reum dixit. Quo ille judicio territus factum ultrò confessus est. *Manlius Collect. p. 190.* Et Duce alio partium Papist. contra Evangelicos Neomagi, inter quos pugnâ exortâ cum in colloquio manum alterius tremulam Dux Pontificius deprehendisset, pugnare suos jussit & hostes urbe exegit. *Lapide in 1. Maccab. 5. v. 41.* Galba Imp. de equi aberrantis possessione judicare debens, cum conjectura anceps esset, equum capite obvelato aquatum agere jussit, & postea solutum dimitti. Cujus equile versus iret, ejus equum fore respondit. Equus ad heri sui præsepe naturæ ductu, ut *Esai. 1. v. 3.* reversus est. *Lipsius L. 1. mon. Pol. C. 9. Paradinus in Symb. heroi. p. 88.* Alius Judex mariti depositum negantis accusati pileum joco ab hoc arreptum ad uxorem ejus misit, & saccum aliquem specialiter descriptum sibi mitti petijt. Ita misso eo depositum astutè extortum, & innocenti restitutum est. *Claudius* Imp. cum mater filium suum non agnosceret, & probatio dubia esset, conjugium ei cum juvene indixit. Sic astutè verum extorsit. *Svetonius in Claud. C. 15. Carolus M.* patrem & filium homicidij suspectos habens, & quis præcisè reus, ignorans, utrumq; suspendi jussit. Sic â patre vivendi spem desperante, ne filium innocenter morti subderet, confesfionem veri elicuit. *Covarruvias T. 2. resol. L. 1. C. 2. n. 16. Leo Imp.* Constantinopol. vigilum fidelitatem arguto dolo exploravit, quod ap. *Apolephthem. p. 2.* erquickst. *pag. 257. seq.* legere posfis. Alia ap. *Lipsium c. l. Bodinum L. 4. Dæmon. C. 4. Manlium c. l. Collect.* aliosq; prostant. Strategematum integri libri in publico extant. Quædam & exempla *Bodinus in lib. de Repub. &* plurima *Beyerling in cit. loco*, Voce Prudentia collegit. Item *Vigilantia cogna. est Theologica & spiritualis* prudentiæ, velut vis aliqua exercita & actuositas, Cauta attentio, quâ res aliqua diligenter

ac solicitè curatur. Quæ ad vigilantes ipsos respicit, *Prov.4 v.23.* Et ad officium eorum, *Ephes.6.v.18. 1.Pet.5.v.8.* Et ad futurum, cui se per officium parant, *Matt.24.v.42.seq. C.25.v.5.seq.* Facitq; ut velut in Urbe obsessâ diligenter in omnes intrantes & exeuntes advertatur, quæ per sensus velut in nos intrant, & per cogitata, dicta, facta è nobis exeunt, ac ut ante officium, in eo, & post illud solicitè omnia quà DEum, Nos, & proximum circumspiciantur. De quâ *plura in Casib. Conscientiæ & Practicis scriptis* tradi solent. Hæc *de Prudentiâ Theologicâ* hac vice dicta sufficiant.

APPENDIX.

De Praxi Theologicâ seu Christianâ.

30. PRudentiam Theologicam sæpiùs ad praxin in spiritualibus respicere, eamq; theoriæ præferre, curiosas aut nimis subtiles, aut inutiles contentiones resecare docere hic *t.7.9.seq.* traditum. Id ipsum *fidei Christianæ Natura* docet, quæ non nuda theoria aut cognitio, sed tota practica est. Fides in Christo valet, quæ per caritatem operatur. *Gal.5.v.6.* Theoria sola vana est, & malis quoq; genijs communis esse potest. Credis, DEUM unum esse: Benè facis. Et Diaboli credunt, & contremiscunt, ait *Jacobus C.2.v.19.* Imò fides in meram theoriam conversa & praxi destituta, veram fidem evertere & prodere potest, non tenere & servare, ut de *Corrup. fidei* dicetur. Monita DEI, Prophetarum, Christi, & Apostolorum universa praxin inculcant, præscribunt, requirunt. *Prima de eâ DEI monitio* ad Cainum est *Gen.4.v.7.* Nonne si benè agis, gratus eris? Sin malè, statim in foribus peccatum adest. Sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illi. *Postrema* Iohannis in Apocalypsi *C.22.v.11.* est, Qui sanctus est, sanctificetur ultrà, Et *v.14.* Beati, qui stolas suas in sanguine agni lavant. *Intermedij* Bibliorum libri pleni de eâ sunt, & loca citare superfluum est, cum in omnibus libris prostent. DEus ad Abramum, ambula coram me, & esto integer, ait, *Gen.17.v.1.* Cœtera *Exod.22.v.31.Lev.11.& 19.Num.15.Mich.6. 1.Pet.1.& 2.* Et passim videre licet. Imò DEum ex toto corde, & proximum sicut seipsum diligere majus omnibus holocaustis

& sacrificijs esse dicitur, etsi à DEO institutis & mandatis, *Marc.12.v.33.* Caritas enim totius legis impletio est, *Rom.13.v.8.9.10.Gal.5.v.14.* Meliorem obedientiam, quàm victimam esse, & auscultare, quàm adipem arietum immolare, ad Saulem Samuel Propheta ait *1.Sam 15. v.22.* De quo *Tr. de Obedien.* pluribus actum. Magna inde praxios Theologicæ necessitas ab omnibus doctoribus, Veteribus & recentioribus in Christianismo agnita & expressa est, ut è testimoniis *t. 33.* subjectis patebit. Ac seriò disquiri meretur, *quomodo* inducenda in homines praxis, fovenda, servanda, inculcanda? Defectus hic ac ignorantia occurrit etiam eorum, qui docendis alijs illaborare volunt. Quodq; parum novit, nemo docere potest. Satis *distinctè & plenè principia ejus*, quæ hominem ad eam commovere debeant, à nullo repræsentata sunt. Et hæc tamen novisse multum ad rem facit, & in Christianismo res ipsa summæ est necessitatis. Cum impietate enim certò damnaberis, ut maximè omnes veritates theoreticas calleas, in nullà aberres. Ac *multa* sanè de praxi Theol. seu Christianâ tradi queant, quæ peculiarem tractatum requirant. De *naturâ ejus quæri possit, quid ea sit, Unde sit, qualis & quotuplex sit, quantæ necessitatis, dignitatis, jucunditatis, & utilitatis in re Christianâ sit, quibus principiis nixa sit*, quibus modis induci, foveri, servari possit ac debeat, quibus gradibus constet, & augeri ac promoveri queat, Quod oppositum ejus, & quæ ejus ratio sit, quo languescat & evertatur, quî lapsa ac corrupta restitui possit, & quæ alia, quæ *peculiari Scripto* aliquando deducam. Nunc *principia* tantùm ejus quædam brevibus subtexam, quibus nitatur, & in hominem invehenda sit, quæ ad eam velut necessitare eum queant, nisi Atheus & æternùm à DEO rejectus esse desideret, quod nemo, cui sanum cerebrum, concupiscet, t.32.

31. Illa principia in sequentibus bonâ parte constituenda videantur. I. *Primum hic illud* Ecclesiastæ *censeatur, Summam doctrinæ omnes pariter audiamus*, DEum time, & præcepta ejus serva. Hoc enim omnis hominis est, *Eccles. 12.v.15.* In hoc & omnis doctrinæ spiritualis summa præcipua comprehenditur. & perceptu intellectuq; facile illud est, quivis novit, quid DEum timere, & præcepta servare sit, non multis intricationibus, subtilitatibus, aut disceptatis ad illud opus est, & ad omnem hominem, qui rationis capax eaq; uti possit, pertinet, & praxin naturâ sui ab omni peragen-

dam

dam requirit. Qui hic præmoliri, excipere, litigare, contendere, aut contrariari velit, eum aperte Atheum aut insanum esse oporteat. Neminem lex Catholice & universaliter proposita eximium habet. Universos homines obligat & obstringit. Agere autem requirit, non speculari & quæstionibus vacare. Timere DEUM, præcepta servare, actus notant, non Conceptus in theoria acquiescentes. *II. Secundum hic esse illud* Christi possit, *Non omnis, qui dicit, Domine, Domine*, in regnum cœlorum intrabit, sed qui voluntatem Patris in Cœlis fecerit, *Matth. 7. v. 21. Et illud ad Hebræos*, Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Dominum, *Hebr. 12. v. 14.* Necessitas summa faciendæ voluntatis DEI & sanctimoniæ sectandæ ex adjectis patet, quòd nemo regnum Cœlorum intraturus, nemo dominum visurus sit, nisi illis instructus fuerit. De *necessitate bonorum operum ad salutem* prolixè disputare solent. Ajunt & negant, sic loquendum esse. Quædam *in Miscell. Theol. p.* 1. adduxi. Phrasis Sp. S. ita se habet, ut è *Matthæo & Ep. ad Hebræos* adductum est. Nunquam autem priore phrasi uti observatur. His posterioribus tutissimè insistitur, ex illis praxis urgetur, periculum, si secus fiat, adjicitur, & nimia contentio ut scopulus à praxi alienus removetur. Eò enim gratia DEI salutifera illuxit, & παιδεύει, velut pueros erudit nos, ut abnegantes impietatem justè, sobriè, & castè vivamus, & sic beatam spem ac adventum Christi exspectemus, *Tit. 2. v. 11. seq.* Hoc ergò seriò occupandum, si veri Christiani esse velimus. *3. Tertium illud* Christi & Joannis Baptistæ sit, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem projicietur, Matth. 3. v. 10. C. 7. v. 19. Luc. 3. v. 19. C. 13. v. 7.* Securis enim jam ad arborem posita est. Hic & universale præceptum de omni arbore est, & periculum appositum, si non bonis fructibus prædita, quòd igne consumenda sit. *V. Hebr. 10. v. 26. Matt. 3. v. 12. Luc. 3. v. 17.* Huc processus Iudicij divini *Matt. 25.* descriptus referendus, ubi omnes benè facientes regno Cœli, mala agentes igni æterno adjudicandi ostenduntur. Quod si ad praxin Christianam non manuducet, nullo tandem homo commovebitur.

32. 4. *Quartum* illud in Apocalypsi sit, Non intrabit in cœlestem Ierusalem aliquid inquinatum, aut abominationem & mendacium faciens, *C. 21. v. 27.* Sed mendacium ac infidelium pars in stagno ardente erit, *v. 8.* Foris canes, venefici, & omnes amantes ac facientes mendacium erunt, *C. 22. v. 15.* Si nihil coinquinati cœlum intrabit, utiq; omnibus intrare

nitens-

nitentibus sanctimonia necessaria erit, secùs intrare non poterunt. Si ita, praxis pietatis Cœli candidato seriò occupanda & continuanda erit, nisi cœlo exclusus manere velit. 5. *Quintum illud Pauli* esse poſsit, Currendum & certandum ita, ut brabeion reportetur, 1.*Cor*.9.v.24. Secùs totus labor in vanum insumptus est. Naturaliter autem omnes sani capitis sibi benè & feliciter esse desiderant. Nisi prorsùs barbara ac ab homine aliena ingenia fuerint. Media ergò, vias, requisita, & conditiones non negligere aut respuere, sed diligenter capessere & occupare Christianum oportet, nisi cœlesti brabeio excidere desideret. 6. *Sextum* illud Christi, Quid me dominum vocatis, & quod jubeo, non facitis, *Luc*.6.v.46. Et illud *Malachiæ* sit, filius honorat patrem, & servus Dominum. Si pater ego, ubi honor meus, si Dominus, ubi timor, ait Dn exercituum, *Mala*.1.v.6. DEO ergò cultus debetur, & quia pater ac Dominus, & quia DEus ac summum bonum est, & quia infinitus benefactor Nobis in Creationis, redemptionis, sanctificationis beneficio, æternusq; remunerator omnis boni in futuro seculo erit. *Gen*.15.v.1. *Esai*. 40.v.10. C. 62.v.11. *Matt*.5. v.10. C.6.v.1.5.6. C.10.v.41. C.19.v.28. 1.*Cor*.3.v.8.14. *Hebr*. 10.v.35. C. 11.v.26. *Apoc*. 22.v.12. Validè ergò homo ad benè operandum & DEO se aſsimilandum, *Leu*.11. *Num*.15. *Matt*. 5.v.48. 1.*Pet*.1.v.15. Et paſsim, obstringitur. Qui hæc non cogitat aut curat, Atheus & Christiano nomine indignus est.

33. 7. *Septimum* illud Christi esse debeat, Omnia, quæ vobis homines facere vultis, eadem & illis Vos exhibete. In hoc summa legis in totâ secundâ Decalogi tabulâ propositæ reducitur, totaq; in eo continetur, quicquid ad proximum pertinere queat. Quod si quis sufficienter attenderit, proximum in nullo lœdet, in omnibus benè tractabit, & sic summam legis à lege requisitam, à Prophetis explicatam expediet. 8. *Deniq; Octavum* ad modum praxios advertendum illud Christi observare utile sit, *Regnum DEI non cum* externis pompis venit, sed intra in nobis est, *Luc*.17.v.20. Non cibus & potus, sed justitia & pax in Sp. S. est, *Rom*. 14.v.17. Non ergò externo cultu, ceremoniis, ritibus, jejunijs, cicilijs, peregrinationibus ad loca, similibusq; hominem praxi Christianæ satisfacere posse censendum, omnia, enim illa & in hypocritis ac quandoq; infidelibus, ut *Mahometistis*, *Judæis*, quibus sua jejunia, afflictiones, ritualia, mortificationes, purgationes variæ sunt, inveniuntur, qui tamen omnes praxin verè Christianam non habent, sed eà destituuntur: Sed interno cultu inprimis opus est, animo, corde, mente

mente, spiritû, quo Deo serviendum, ut Corpus, anima, & Spiritus integer ac sine querelâ in adventum Christi serventur, *1.Theß.5.v.23.* Præstat animum, quàm coetera offerri DEO, ait *Gregor. Nazianzenus ap. Lapi de proleg. in Siracid. p.31.* Spiritum enim DEus postulat, ut ipse est, *Joh.4.v.23.24.* Et Corporalis exercitatio ad modicum utilis, Pietas autem ad omnia utilis est, ac promissionem hujus & futuræ vitæ habet, *1.Tim.4.v.8.* In quo praxios Christ. principia pro Epitome finire placet. Coetera deductioribus servari oportet.

54. *Unicum* pro calce praxios adhuc subjungendum fuerit, quod §.50. promissum *Ipsum Christianismi nomen* praxin Christianam involuit & requirit, ut pleriq; consentiunt. Scire, quid Christianismus sit, nondum est, Christianum esse, inquit *Athanasius dial. 1.d.Trinit.* Christianismus est vitæ divinæ imitatio, ait *G.Nyssenus ap.Cor.à Lapide in Act.5.v.2.* Assimilatio DEI est, quatenùs eam humana fragilitas ferre potest, ait *Basilius hom. 10. hexaëm.* Christianus est Christi imitator, *Augustinus de vit.Christ.C.1.* Justitiæ, castitatis, patientiæ, prudentiæ, humilitatis, innocentiæ nomen est, ait *Idem C.6.14.* Qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videtur. Nomen enim sine actu & officio suo nihil est, ait *Salvianus L.4.d. Provid.* Christi nomen frustra sortitur, qui Christum non imitatur, *V. Gerhard.Aph.pract.Voc.Christi imitatio.* Præstat Christum in nobis vivere, quàm digladiando frustra quærere. Cur Christus se nominaret viam, nisi vellet nos ambulare, sicut ipse ambulavit. *Idem c.l.* Ideò Christus se viam dixit, ut conversatio Magistri forma esset discipuli, & illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus, *Leo serm. 5. d. nativ. Dom.* Ut doctor discipulum sibi persimilem reddere intendit: Sic Christus quemvis ad se accedentem sibi conformare, & sic conformatos filios Patri exhibere cupit. *Nicephor.L.1.histor.C.22.* Doctus sine opere est nubes sine pluviâ, ait *Besoldus in Consil.sect.Sarac.p.24.* Christianismus mors criminum, & vita virtutum est, ut *Cyprianus ep. 2. ad Donat.* dixit. Exigit vis beati nominis Christianismi, ut Caritas in corde, Veritas in ore, & Castitas in Corpore semper teneatur, ait *Hugo ap.C.à Lapide in Sirac.51.v.27.* Christiani à Christo nomen acceperunt, & operæ pretium est, ut sicut sunt hæredes nominis, ita sint imitatores sanctitatis, ait *Bernhard.ser. ad past.in syn.* Sine causâ sum Christianus, si Christum non sequor, *Idem in vitâ Malachia* ait.

Idem Christum faciliùs apprehendi sequendo, quàm legendo ait. *Conf.t.12.* Res sancta professio morum est, Quando etiam factis animat sua verba. Professor, *Taubman.p.2. Sched. ait.* Non solum Christi passio sit tuum meritum, sed & Christi actio vitæ tuæ exemplum. Si vis esse cohæres Christi, debes etiam esse Imitator Christi. *V. Gerhard. med. 30.* Sciendi via brevis est in fide, agendi longa. Non contendendo DEUM colueris, sed obsequio. Non in longum curiosa religio est. Agendi tempora disceptando transmittis, & è vitâ evocaberis, priusquàm aliquid constitueris. Si perpetuis disceptatis credendum, quis idiotarum salvari poterit? Recentiorum aliquis ait. *Millena* sunt, quæ in hanc rem in *Scripturâ, Patribus, Scholasticis quibusdam, & Practicis scriptoribus* inveniantur. Quædam d. non liqu. adducta. Hæc & *de Praxi Theologicâ* breviter adducta esse, sufficiat.

Gloria in excelsis DEO.

Ad t. 17. statim in principio numerum notæ adde, qui omissus, XIV. Reliqua leviora errata benevolè emenda, LECTOR, & vale.

H. NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.